208.877
B599d

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/quaestionesdenov0000ludo

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

QUAESTIONES

DE NOVISSIMIS

WITHDRAWN

AUCTORE

LUDOVICO BILLOT S. J.

S. R. E. Cardinali

Olim in Pontificia Universitate Gregoriana

Theologiae Professore

EDITIO SEXTA

ROMAE

IN UNIVERSITATE GREGORIANA

Via del Seminario, 120

1924



WITHDRAWN

206.811
B599d

10028

PROOEMIUM

PRAETERIT figura huius mundi, ait Apostolus a scenis, comicis aut tragicis quae subito cum personis mutantur, metaphoram sumens. Nec sane inepta aut iusta proportione carens metaphora. « Quemadmodum enim in « theatro velamina multa sunt, multique scenici ingressi his- « trionicam larvam in vultu habent, veterem fabulam tractant, « resque gestas narrant, et alius quidem philosophum agit « qui non est philosophus, alius medicus qui ne lignum « quidem tractare potest, sed medici vestibus amictus est ; « alius servus qui tamen liber est ; alius doctor qui ne lit- « teras quidem novit, nullo modo suam, sed alienam speciem « referentes... Donec autem scena et theatrum est, laetique « spectatores assident, larvae manent ; cum autem adveniente « vespera theatrum solvitur, recedentibus omnibus, larvae

« proiiciuntur..., ita quoque in vita et in fine vitae. Res « praesentes sunt theatrum ; histrionicam agunt divitiae et « paupertas, princeps, et subditus, et his similia. Cum autem « dies illa transierit, et nox illa tremenda advenerit, imo « potius dies quae peccatoribus nox, iustisque dies erit, cum « solutum fuerit theatrum, cum proiectae fuerint larvae, « cum unusquisque et opera ad examen vocabuntur, non « unusquisque et divitiae eius, non unusquisque et principatus « eius, non unusquisque et honor eius, non unusquisque et « potentia eius, sed unusquisque et opera eius... Et quemad- « modum hic, postquam solutum fuerit theatrum, si quis « nostrum in edito loco sedens viderit eum qui intus (in « theatro) philosophus erat, foris aerarium esse, exclamabit : « Hem ! annon hic intus philosophus erat ? iam foris aerarium « video. Annon hic rex intus erat ? et iam foris vilem quem- « dam hominem cerno. Annon hic intus dives erat ? at foris « pauperem video : ita et illic erit » (1).

Sed, quod malorum omnium caput est, de iis quae post solutum theatrum erunt, plerique hominum aut nihil sciunt, aut nihil cogitant, aut nihil curant. Et alii quidem in hoc toti incumbunt, ut scenam occupent cum spectatorum admiratione et plausu continuo, larvatamque personam in finem usque, gloriosi mimi sustineant. Quorum omnium typus fuit imperator ille Caesar Augustus, de quo historiae narrant quod supremo die, iamiam efflaturus animam, petito speculo, capillum sibi comae ac malas labentes corrigi praecepit, et amicos admissos percunctatus, *ecquid iis viderelur mimum*

(1) Chrysost. Conc. 6 de Lazaro, n. 5.

vitae commode transegisse, consuetam in comoediis adiecit et clausulam: *date plausum, et vos omnes cum gaudio manus tundite* (1). Alii vero non tam theatri gloriam, quam iucunditatem voluptatemque quaerunt. Horum voces audimus in Sapientia: *Umbrae enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri, quoniam consignata est, et nemo revertitur. Venite ergo, et fruamur bonis quae sunt, et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non praetereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra* (2). Quare beatum dixerunt eum cui vere contingit illa sors, beatum qui affluit deliciis, qui prospere it post omnem concupiscentiam, quique *exacto contentus tempore vitae, cedat uti conviva satur* (3). At cum nonnisi paucorum ista conditio sit, ideo irruunt alii, partem suam de larvata felicitate exigentes, et theatri ordinem turbantes, imo sus deque subvertere conantes, ut fiant tandem primi qui erant novissimi, et novissimi qui erant primi. Interim vero super omnes indiscriminatim tonat illud verae sapientiae effatum: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Et iterum: *Vidi cuncta quae fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus. Risum reputavi errorem, et gaudio dixi, quid frustra deciperis?*

Inspiciendum igitur quid post theatrum erit, et illuc

(1) Sueton. in Augusto, c. 99.

(2) Sap. II-5.

(3) Horat. l. 1 Sat. 1.

transferenda cogitatio ubi res verae sunt, ubi larvae proiiciuntur, ubi fabulae habitus deponitur. Et tunc quoque perspicue apparebit qua ratione, quove sub respectu humanae res scenico ludo recte comparentur. Numquid enim putabis eatenus tenere comparationem, quatenus pro inani ioco vita praesens habenda sit? Nihil eo absurdius, vero dissimilius nihil. Sed e contra, in tantum valet analogia in quantum praesentes istae felicitates et miseriae pro quibus vel insequendis vel fugiendis a gravissimo fine humanae vitae turpiter aberramus, tam caducae, tam fluxae, tam fallaces sunt, quam illae mimorum in theatro. « Sicut enim in theatro se- « dens, si quem videris ex iis qui inferius ludunt, personam « gestantem regis, non iudicas eum beatum, neque regem « esse credis, imo nec ipse optaris esse talis: sed cum scias « quod sit quispiam ex iis qui ficus aut botros vendunt in « foro, funium opifex, aut faber aerarius, aut aliud quidquam « tale, non iudicas illum beatum ob personam, aut ob vestem, « neque ex hisce rebus aestimas illius vitam: sic sane et hic » velut in theatro, videlicet in mundo sedens, et in scena « ludentes spectans, ubi videris complures divites, ne putes « vere divites esse, sed divitum obtectos personis » (1). Non ergo pro lanugine quae ab aura tollitur, et pro spuma gracili quae a procella dispergitur, et pro fumo qui cito a vento dissipatur, in eorum partes secedendum, a quibus tardior experientia hanc tremendam confessionem aliquando extorquebit: *Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis!*

(1) Chrysost. Conc. 2 de Lazaro n. 3.

Sit itaque de novissimis nostris diligens consideratio. Quae quidem consideratio quatuor capitibus absolvetur. **Primo** de morte termino viae. **Secundo** de statu animarum post mortem, in inferno, in purgatorio, in paradiso. **Tertio** de universali resurrectione. **Quarto** de fine mundi, iudicio ultimo, et definitiva omnium ordinatione.

CAPUT PRIMUM

QUAEST. I.

DE MORTE TERMINO VIÆ

Duo sunt fundamentales errores circa mortem in sua habitudine ad vitam praesentem.

Primus est materialistarum dicentium mortem esse terminum post quem nihil. Qui error omnium temporum fuit et erit, quia conformis est aestimationi sensuum, et a legis moralis iugo eximens, et libidini frena auferens, hisque de causis mentem carnalis hominis in praeceps trahens. Et ad eumdem errorem pertinet opinio eorum qui nunc dicuntur positivistae, quique a futura vita, an sit vel non sit, se abstrahere fingentes, docent finem ultimum activitati nostrae propositum ultra vitam terrestrem minime subsistere, tametsi non in privato singulorum individuorum bono sed in progressu totius collectivitatis humanae ipsum repositum velint, et aliquam exinde honestatis speciem suo systemati, quod altruismi nomine decorant, conciliare tentent. Denique sub eadem errantium categoria recensendi quoque illi pantheistae qui mortem concipiunt velut refusionem quamdam in magnum Πᾶν, seu animam mundi. Et antiqui quidem philosophi, sicut existimabant singulorum animas particulas esse animae mundanae, quarum quaelibet suo corpore ut aqua vase includeretur, ita et reputabant unamquamque animam, corpore dissoluto quasi effracto vase, effluere, ac animae mundi e qua deducta fuerat, iterum uniri.

Nec longe sunt ab hac conceptione plures e modernis, quibus vetera delíria sub formis vix diversis innovare placuit. Constat autem quod materialisticae positioni prorsus aequivalet eiusmodi resorptio, qua omnis individualitas et distincta subsistentia amitteretur; per ordinem enim ad futuram retributionem easdem in facto habet consequentias.

Alius fundamentalis error fuit Pythagoraeorum et Platonicorum qui alterius vitae praemia et poenas non diffitebantur. Verumtamen vitam praesentem minime habebant ut viam et probationem unicam, quam deinde immutabilis status sive in bonis sive in malis consequitur, sed metempsychosim et transmigrationes animarum et seriem infinitam vicissitudinum adstruebant. Horum doctrinam secutus est Origenes, praesertim in libris περὶ ἀρχῶν, de quibus sic censet Hieronymus epist. 124 ad Avitum: « Quamobrem petis, Avite « carissime, ut ipsum ad te exemplar dirigam, quod a me olim « translatum, et nulli alii traditum, a (quodam) fratre perver- « se editum est. Accipe igitur quod petisti, sed ita ut scias de- « testanda tibi in eis esse quam plurima, et iuxta sermonem « Domini inter scorpiones et colubres incedendum, ut est illud « statim in primo volumine...: Ipsos daemones ac rectores tene- « brarum in aliquo mundo, vel mundis, si voluerint ad meliora « converti, fieri homines, et sic ad antiquum redire principium: « ita duntaxat ut per supplicia atque tormenta quae vel multo « vel brevi tempore sustinuerint, in hominum eruditi corpori- « bus, rursum veniant ad angelorum fastigia. Ex quo conse- « quenti ratione monstrari, omnes rationabiles creaturas ex « hominibus posse fieri, non semel et subito, sed frequentius, « nosque et angelos futuros daemones si voluerint capere virtu- « tes, pervenire ad angelicam dignitatem... In secundo autem « libro mundos asserit innumerabiles, non, iuxta Epicurum, « uno tempore plurimos et sui similes, sed post alterius mundi « finem, alterius esse principium. Et ante hunc nostrum mun- « dum, alium fuisse mundum, et post hunc, alium futurum, et « post illum alium, rursumque caeteros post caeteros... In li- « bro quoque tertio haec vitia continentur: *Saepius diximus in*

« *infinitis perpetuisque saeculis in quibus anima subsistit et* « *vivit, sic nonnullas earum ad peiora corruere, ut ultimum* « *malitiae locum teneant, et sic quasdam proficere, ut de ulti-* « *mo malitiae gradu ad perfectam veniant consummatamque* « *virtutem*... Et post disputationem longissimam qua omnem creaturam corpoream in spiritualia corpora et tenuia dicit « esse mutandam, cunctamque substantiam in unum corpus « mundissimum et omni splendore purius convertendam, et ta- « lem qualem nunc humana mens non potest cogitare, ad ex- « tremum intulit: *Et erit Deus omnia in omnibus, ut universa* « *natura corporea redigatur in eam substantiam quae omnibus* « *melior est, in divinam scilicet, qua nulla est melior* ». Haec Origenes, Pythagorae Platonisque dogmata sequens. Quae etiam usque hodie aliqui retinent, somniantes rehabilitationem Satanae et damnatorum redemptionem et post longa saecula universalem cunctorum restitutionem.

Ergo iuxta alios, omnium rerum mors est extremum. Iuxta alios vero, nequidem est extremum viae, sed solum unius viae, post quam alia est futura, et post illam alia, rursumque caeterae post caeteras. Porro inter utramque positionem medium stat fidei catholicae immobile dogma, quod sequenti propositione continetur.

THESIS I.

Hominibus vita praesens est via ad futuram, eamque immomobilem ac perenniter duraturam, in qua unusquisque recipiet a Domino prout gessit in corpore, sive bonum sive malum. Et huic viae definitivus terminus imponitur per mortem, post quam nullus relinquitur locus, nec ad poenitendum, nec ad merendum, nec denique ad immutandum quavis ratione statum peccati vel gratiae in quo animam ultimum instans deprehenderit.

§ 1.

Esse vitam futuram, eamque perennem et nusquam desituram, in qua pro praesentis vitae meritis retributio fiet, omnes quotquot sunt, Evangelii paginae procul dubio protestantur.

Ubique enim vita aeterna et regnum coelorum in praemium repromittitur. Ubique etiam e regione ponitur ignis aeternus et locus tormentorum paratus his qui egerint mala. Ita sane in primo initio et ultima consummatione praedicationis Christi. In primo quidem initio, id est in oratione illa inaugurali, Matth. V-VII, in qua sumpto exordio a beatitudinibus, ad regnum caelorum, ad possessionem terrae viventium, ad visionem aeternam in gloria filiorum Dei cunctos evocat. In consummatione vero, id est in sermone qui ultimus fuit ante passionem, Matth. XXV, ubi descripto adventu Filii hominis in maiestate ad iudicandum omnes gentes, his concluslt verbis: *Et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Porro principio et fini plane consonant intermedia, et in primis praecipuae evangelicae parabolae. Parabola certe zizaniorum: *Sicut ergo*, inquit, *colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit in consummatione saeculi. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Tum parabola de sagena missa in mare et ex omni genere piscium congregante, aliis (id est bonis) reservatis in vasis, aliis vero (id est malis) foras missis: *Sic erit in consummatione saeculi. Exibunt angeli, et separabunt malos de medio iustorum, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium.* Kursus parabola de inventione thesauri et pretiosae margaritae, pro quibus emendis omnia quae habet vendere debet homo. Parabola quoque de divite epulone et Lazaro paupere, quorum unus moriens sepelitur in inferno, alter vero portatur ab angelis in sinum Abrahae. Item parabola de villico nequam, cuius exemplo edocemur facere nobis amicos qui recipiant nos in aeterna tabernacula. Parabola denum talentorum in qua dominus qui peregre profectus fuerat, rediens praemiat servos diligentes, servum vero inutilem iubet proiici in tenebras exteriores. Hinc gravissimae illae monitiones quae continuo occurrunt in ore Christi: *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?... Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et*

tunc reddet unicuique secundum opera eius. Et iterum: *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum et proiice abs te; bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum.* Itemque: *Illi qui digni habebuntur saeculo illo et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores; neque enim ultra mori poterunt; aequales enim angelis sunt et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis.* Et rursus: *Attendite vobis ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis huius vitae, et superveniat in vos repentina dies illa.* Et alia eiusdem tenoris eiusdemque sensus pene innumera. Ideo Petrus in ipsa intimatione Legis evangelicae ad primitias gentium: *Praecepit nobis praedicare populo et testificari quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum.* Et Paulus in Areopago: *Nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique poenitentiam agant, eo quod statuit diem in quo iudicaturus est orbem in aequitate, in viro in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis.* Hinc demum in symbolo fidei profitemur: « Inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Ad « cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corpo- « ribus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem. Et « qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in « ignem aeternum. Haec est fides catholica, quam nisi quisque « fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit ».

Cum igitur futura vita et propria eius praemia et poenae in libris N. T. tam clare, tam asseveranter, tamque instanter proponantur, de Veteri Testamento paulo difficilior occurrit quaestio, et operae pretium erit si in quaestione discutienda aliquantisper immoremur.

Id in primis ex christiana revelatione certissimum, quod omni tempore omnique aetate, videlicet ab ipso mundi exordio, de alterius vitae remuneratione indubitata fides viguit in populo Dei. Cuius rei fideiussorem habemus Paulum, Heb. XI, ubi absolute asserit nemini unquam contigisse iustitiam apud Deum nisi credenti *quia inquirentibus se remunerator sit*, testaturque omnes antiquos iustos in hac fide testimonium esse

consecutos: Abel, Henoc, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moysen, Gedeon, Barac, Samson, Iephte, David, Samuelem et Prophetas. Neque enim dubium esse potest de qua remuneratione hic sermo sit. Nam praeterquam quod in scripturis apostolicis nulla alia annuntiatur remuneratio nisi illa futuri saeculi, sensum satis declarant ea quae mox subdit Apostolus de Abraham, Isaac et Iacob: *Fide demoratus est* (Abraham) *in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Iacob cohaeredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem.* Et rursus: *Confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim haec dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de qua exierant, habebant utique tempus revertendi. Nunc autem meliorem appetunt, id est caelestem.* Eumdem sensum confirmant quae infra dicuntur de Moyse: *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem... Aspiciebat enim in remunerationem*, utique vitae futurae, ut stet oppositio ad delicias temporales quibus potuisset frui in aula Pharaonis. Item quae subduntur de Eleazaro et Machabaeis: *Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem*, id est, nolentes illicito pacto vitam redimere, certissima spe vitae melioris animati. Denique ea quae conclusionis instar in fine capitis leguntur: *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Ubi iterum sermo est de promissione caelesti, nam terrenae promissiones iam praestitae fuerant illis quibus secundum ordinem providentiae Dei praestandae erant. Sed consummatio remunerationis caelestis in gloriosa resurrectione nondum fuit facta; differtur enim usque in saeculi finem, eis pariter et nobis uno eodemque tempore exhibenda. Ex his igitur et aliis Novi Testamenti testimoniis res iam conficitur, nec remanet dubitationi locus, an fuerit in antiquis fidelibus de remuneratione venturi saeculi, non secus ac in nobis, fides constans et invicta. Proinde quaestio solum esse potest de ipsissimis Veteris Testa-

menti libris. Non enim desunt qui dicere audeant, nihil a paganismo distare litteras istas, quod attinet ad vitam futuram et repositas in ea sanctiones legis moralis qua in conscientia homo obligatur.

Ad huius autem rei convenientem elucidationem praemittere oportet, omnem Scripturam apud Iudaeos, teste Hieronymo in Prologo Galeato, in tres classes fuisse divisam. Prima classis, sive primus ordo qui **Lex** ab eis dicebatur, quinque libros Moysis continebat, id est Pentateuchum. Secundus ordo complectebatur **Prophetas;** sub qua divisione ponebant libros Iosue, Iudicum et Regum, tum Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, et duodecim minores. Denique tertius ordo **hagiographa** comprehendit, quae novem numerabantur: Iob, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Daniel, Paralipomenon, Esdras et Esther. Adde tandem **deuterocanonicos** (Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, Tobiam, Iudith, et duos Machabaeorum), qui apud Iudaeos in magna erant veneratione, quamquam in canone non adscripti, quoniam post tempora Esdrae, ut scribit Iosephus l. 1 c. App. c. 8, « minus explorata « fuit successio prophetarum », id est successio eorum virorum qui munere prophetico a Deo insigniti, tantam habuerint auctoritatem quanta requirebatur ad hoc, ut in albo Scripturarum novi libri authentice referrentur. At nobis horum librorum canonicitas ex apostolica traditione certissime innotuit: qui idcirco iure meritoque sub hagiographorum categoria simpliciter et absolute sunt recensendi.

Nunc ergo fatendum omnino est quod in libris proprie legalibus, hoc est in ipsa Lege per Moysis ministerium a Deo data populo Hebraeorum, non continentur promissiones futurae vitae, iuxta illud Apostoli: *Umbram habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Neque enim in vi huius legis ad invisibilia bona homines ordinabantur. Sed, ut alibi expositum est (1), in antiquis fidelibus duplex omnino respectus est distinguendus, prout formaliter considerantur vel ut incorporati hierarchiae V. T., vel ut pertinentes ad testamentum

(1) De Ecclesia, Q. 1 in prologo. — De Sacramentis.

illud quo statuerat Deus universum genus humanum per unum mediatorem Christum in pristinam gratiam reparare. Et primo quidem modo non erant nisi in vestibulo regni Christi, umbratilibus typis ac terrenis figuris insistentes. Alio autem modo evocati erant ad futura bona non secus ac nos. Hinc simul cum Lege Mosaica praesto eis aderat alia doctrina et alia revelatio, eaque antiquitus primum ab Adam et patriarchis de ore in os tradita, deinde vero scripturis etiam sacris commendata, sed iis potissimum scripturis quae in *hagiographorum* ordine paulo supra fuerunt numeratae.

Potissimum dixi, at non exclusive. Antiquae enim traditionis et certissimae fidei gentis Hebraeorum de futura vita, in ipsis libris Mosaicis aperta prostant documenta, velut cum de Abraham dicitur, Genes. XXV-8: *Deficiens mortuus est in senectute bona et plenus dierum, congregatusque est ad populum suum* (1). Et de Isaac, Genes. XXX-29: *Consumptusque aetate mortuus est, et appositus est populo suo senex et plenus* dierum. Et de Iacob, Genes. XLIX-29: *Praecepit eis dicens: Ego congregor ad populum meum, sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici quae est in agro Ephron Hethaei... Finitisque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, et obiit, appositusque est ad populum suum* (2). Et Deuter. XXXII-48: *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Ascende in montem Nebo... Quem conscendens iungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, et appositus populis suis* (3). Quibus verbis quid aliud significatur nisi translatio e statu viventium in hac mortalitate, ad

(1) Hic non potest significari communitas sepulcri, praesertim quia Abraham non habuit communem cum populo suo sepulturam, qui in terra aliena, longe a cognatione sua e qua exierat, vixit et mortuus est.

(2) Distinguitur congregatio ad populum a sepultura cum patribus, quae etiam nonnisi post multos ab obitu dies secuta est, deferente Ioseph corpus patris e terra Aegypti in terram Chanaan.

(3) Et nota quod Moyses mortuus est in solitudine, quin unquam cognoverit homo locum sepulcri eius, ut habetur Deuter. XXXIV-6.

statum patrum degentium in altera vita, id est ad societatem iustorum, ad quam in morte congregari dicuntur sancti patriarchae, sicut cum de agris in horreum congregatur messis matura? Et bene quidem dicuntur congregari sive apponi *ad populum suum*, quia hic apud nos duae civitates interim permiscentur et permixtae manent quamdiu durat saeculum praesens. In altera vero vita plane separantur, ut unaquaeque seorsum sinu suo proprios excipiat cives, quos iam non caro et sanguis, non terreni generis communitas, non sors nativitatis, sed cognatio animorum, et amores iidem, et similis vitae merita coniunxerunt. Et haec quidem de communione sanctorum post mortem vetus Scriptura habet.

Sed nec de congregatione malorum in inferno silet, imo iis passim utitur verbis quae traditionis Moyse longe antiquioris circa poenas futuras certam faciant fidem. Quid est enim quod infernos manes nomine *gigantum* (Raphaim) appellare consuevit? Sane vero, Proverb. IX-18, Salomon ait quod viae mulieris meretricis ducunt ad locum gigantum: *Et ignorarit quod ibi sint gigantes, et in profundis inferni convivae eius.* Et infra, XXI-16, dicit quod quisquis a via sapientiae deflexerit, *in coetu gigantum commorabitur.* Apud Iob quoque, XXVI-5, legitur: *Ecce gigantes gemunt sub aquis, et qui habitant cum eis. Nudus est infernus coram illo, et nullum est operimentum perditioni.* Denique Isaias, XIV-9, regi Babylonis vaticinatur fore ut, postquam morte percussus fuerit, Raphaim seu gigantes e loco suo obviam ituri sint ut venientem excipiant: *Infernus*, inquit, *subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terrae surrexerunt de solliis suis... Universi respondebunt et dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.* Unde inter alias acceptiones huius vocis *gigantes*, communi consensu interpretes ponunt manes impiorum. Sed huiusmodi acceptionis quaenam alia origo esse potest nisi id quod narratur in Genesi (VI-4) de famosis gi-

gantibus qui remanserant in memoria familiae Noe velut quaedam nequitiae personificatio: quorum impietas, ut scribit Hieronymus epist. 10, totius orbis naufragium in diluvio adduxit? Erat igitur in traditione veterum Hebraeorum, eaque scriptis a Moyse libris longe antiquiore, quod impiorum animae in infernum descendunt, ibique simul congregantur tamquam in terra miseriae, ut habetur Iob X-22, terra tenebrarum in qua umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Verum, ut supra dictum est, ad eos potissimum V. T. libros attendamus oportet, in quibus ex professo et data opera praesens vita ut praeparatio futurae exhibetur. Et in hoc genere, primo loco afferendus liber Ecclesiastae, qui hac unica velut argumentatione totus continetur: *Cum vana omnia sub sole sint, id unum in homine magnum verumque esse, si Deum timeat, praeceptis eius pareat, ac futuro iudicio purum atque integrum se servet.* Cuius enthymematis antecedens, inquit Bossuetius Praef. in Eccl., « rerum humanarum enumeratione, « tantique regis (Salomonis) experimentis constat, ut quia ex- « quisitissimas voluptates assequi alii per egestatem aut impe- « ritiam nequeant, alii temperantia non curent, exsistat Salo- « mon unus regum opulentissimus, rerumque prudentia claris- « simus, qui cum ultro fateatur in tanta bonorum affluentium « copia nihil a se denegatum cupiditatibus, simul tamen coga- « tur agnoscere, non modo vana et nulla, verum etiam irridenda « partim, partim etiam deploranda esse omnia, sibique tam flo- « renti, tam beato vitam fuisse taedio, ac potiores visos qui nec- « dum nati essent. Id autem sic conficit: Quod homo nascatur « ad malorum experientiam, neque quidquam in scientia sit « praesidii, neque ea tolli queat caecum illud atque improvidum « quo in perniciem, velut obiecto hamo, inscii devolvamur (1). « Quin ipsa etiam qualis esse solet in humano genere sapientia,

(1) *Vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientum panem, nec doctorum divitias, sed tempus casumque in omnibus. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo superrenerit* (Eccl. IX-11).

« inter vanissima, imo inter cruciatus animi reputanda sit (1). « Docet denique, eo deduci hominem tot aerumnis, curis, libi- « dinibus, laboribus, erroribus, ut caeca mersus caligine, neque « sapientem a stulto, neque, quod gravius est, seipsum a pe- « cude satis secernere valeat (2), donec ad Deum eiusque iudicia « coniectis oculis, deprehendat in se occultum illud quod ad Dei « imaginem conditum, dissoluto corpore atque in terram suam « abeunte, ad auctorem Deum redeat, eius arbitrio iudicandum. « Atque id quidem ultimo capite et uno verbo transigitur. Cae- « terum toto libro praeparatur iactis veri seminibus, sanisque « sententiis velut radiis inter offusas tenebras intermicanti- « bus (3), quae tanquam disiectis nubibus, tandem in limpidis- « simam lucem erumpunt ».

Sic enim conclusit Ecclesiastes: *Memento creatoris tui in diebus iuventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni de quibus dicas: non mihi placent*, seniles scilicet, et ad sepulcrum praecipites. *Quando commovebuntur custodes domus*, id est manus protegendo corpori natae, et *nu-*

(1) *Dedique cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque et stultitiam, et agnovi quod in his quoque esset labor et afflictio spiritus, eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, et qui addit scientiam, addit et laborem* (I-17).

(2) Huc spectant plura quae materialisticum dogma redolere viderentur: *Dixi in corde meo filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis. Idcirco unus interitus est hominis et iumentorum, et aequa utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur.... Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus iumentorum descendat deorsum?* Quis novit? inquit, referens id quod impii dicunt, ac per hoc ostendens abyssum ignorantiae humanae.

(3) Sit ad exemplum: *Vidi sub sole in loco iudicii impietatem, et in loco iustitiae iniquitatem, et dixi in corde meo: Iustum et impium iudicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit* (III-16). Et alibi: *Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi iustorum operum, sed et hoc vanitas est. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala. Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius* (VIII-10).

tabunt viri fortissimi, id est crura quae corpus sustentant, *et otiosae erunt molentes in minuto numero*, id est dentes quibus permoliti cibi in alvum transmittuntur, *et tenebrescent videntes per foramina*, id est oculi quibus aetate confectis caligat acies et intuitus obscuratur. *Et claudent ostia in platea in humilitate vocis molentis*, id est, quando claudentur labia extrinsecus, sublatis dentibus compressa, ut vox exire nisi exilis et fracta non possit. *Et consurgent ad vocem volucris*, quatenus frigescente iam sanguine et humore siccato, quibus materiis sopor alitur, ad levem sonitum senex evigilat, noctisque medio cum gallus cecinerit, festinus exsurgit. *Et obsurdescent omnes filiae carminis*, dum auribus aggravatis, concidet omnis delectatio musicae et cantus. *Excelsa quoque timebunt et formidabunt in via*, pro quanto ardua ingredi senex non valet, et lassis poplitibus ac trementi vestigio etiam in plano itinere fluctuans, offensam gressuum formidat. *Florebit amygdalus, impinguabitur locusta* (vel talus), *et dissipabitur capparis*, capillo scilicet incanescente, tumescentibus pedibus, et vigore omni propter ruptum membrorum foedus relaxato. Memento itaque creatoris tui antequam veniant dies illi, *et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Praeclara sane sententia, in qua etiam apparet quorsum in antecedentibus vergebat tam studiosa dissolutionis corporis descriptio: nimirum ut etiam atque etiam inculcaretur quid sit inter animam et corpus discriminis, quave ratione post consummatam machinae paulatim fatiscentis ruinam, animus integer et incorruptus et plane immortalis ad Deum revertatur. Unde iam parata est ultimae conclusioni via. Principium enim repetens a quo exorsus fuerat: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas... Faciendi plures libros nullus est finis, frequensque meditatio carnis afflictio est... Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time et mandata eius observa, hoc est enim omnis homo. Et cuncta quae fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.* Haec, inquam, totius libri conclusio est, ad quam lectores omnes provocantur. Haec sum-

ma, haec recapitulatio quae, ut dicitur vers. 11, quasi clavus in altum defixus haerere debet, ut iam necesse non sit petere libros qui per hominum manus nullo fine aut operae pretio circumferuntur, sed unum id infigere animo quod omnium caput est: ad hoc scilicet natum esse hominem, ut creatorem suum intelligens, veneretur eum honore et opere mandatorum. « Si- « quidem cum judicii tempus advenerit, quidquid a nobis ge- « stum est, stare sub iudice, et unumquemque recipere pro ope- « re suo, sive mali quid gesserit, sive boni » (1).

Vides igitur omne dogma vitae futurae, data opera et omnino ex professo inculcatum in hoc Salomonis libro. Cui ad amussim consonat liber Ecclesiastici, nomine παρενέτου vel Sapientiae Iesu filii Sirach a veteribus passim appellati: velut cum semel et iterum iubemur habere praesentem mortis memoriam, tamquam solidissimum virtutis praesidium et ad omne opus bonum efficax incitamentum: *Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suae benedicetur* (Eccli. 1-3) *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis* (VII-40). *Beatus dives qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris... Fecit enim mirabilia in vita sua... Ideo stabilita sunt bona illius in Domino* (XXXI-8). Consonat et divinissimus liber Sapientiae, ubi in primis diserte explicatur cuiusmodi sit bona illa mortis cogitatio ab Ecclesiastico commendata, et quam diversa ab ea quae impios spem futurae vitae non habentes in omne potius flagitium dat praecipites, (Sap. II per totum). Deinde describitur felicitas sanctorum, quorum animae in manu Dei sunt, quos non tangit tormentum mortis, qui visi sunt oculis insipientium mori, dum spes illorum immortalitate plena est. (II, 1-9). Beatificatur iustus praematura morte occupatus, quia in refrigerio erit, quia placens Deo factus est dilectus, quia raptus est ne malitia mutaret cor illius (IV-16). Denique iudicium extremum intimatur, in quo impii admirantes muta-

(1) Hieronymus in Ecclesiasten, cap. ult. — Item Bossuet in h. l. passim.

tam sortem eorum quos hic contempserunt, aeternam suam deflebunt miseriam, momentanea felicitate partam: *Videntes turbabuntur timore horribili... Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt... Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum*, (V, per totum).

Libro Ecclesiastae multo antiquior est liber Iob, in quo reperire est veterem traditionem populi Dei extra stirpem Israeliticam. De eo Hieronymus, epist. ad Paulinum: « Iob « exemplar patientiae, quae non mysteria suo sermone non com- « plectitur?... Et, ut de caeteris sileam, resurrectionem corpo- « rum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius vel cautius « scripserit: *Scio*, inquit, *quod Redemptor meus vivit, et in no- « vissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor « pelle mea, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum « ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Reposita « est haec spes mea in sinu meo* ». Et hac spe fretus vir iustus, atrocitatem malorum quorum descriptio praecessit (XIX, 8-22), longanimiter tolerabat, erectisque in caelum oculis, inter ruinas domus, poenas ulceris, innumeras orbitates, amicorum obiurgationes, et ad extremum, uxoris insidias, invictam tenebat patientiam (1). At miraculo patientiae tres eius amici nequaquam movebantur, nihilque remittebant de inveterato et tenaci praeiudicio quo opinabantur mala huius vitae nonnisi in vindictam admissorum scelerum de ira Dei descendere. Hinc ad altiores Providentiae rationes Iob assurgit, seseque contra iniustas imputationes Saphar Naamathitae defendit (XXI per totum).

Et in primis ab amicis quaerit, qua tandem ratione impiorum prosperitatem explicabunt, si verum est quod iustitia Dei in praesenti vita secundum merita vel punit vel praemiat: *Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securae sunt et pacatae, et non est virga Dei* (correctionis scilicet) *super illos. Bos eorum*

(1) Cf. Hieronym. in cap. 19 Iob.

concepit, et non abortivit: vacca peperit, et non est privata foetu suo. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto (id est sine dolore, et nequaquam longa aegritudine discruciati) *ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens ut serviamus ei? et quid nobis prodest si oraverimus illum?* Itaque, obsecro, respondete mihi: Numquid vos qui Deum contra me iustum defenditis, iniustitiae simul arguetis, ex hoc quod in me acerbus ultor exsistat, et in mei similibus clemens? Tum praefatae impiorum prosperitati opponens afflictiones quibus saepissime in finem usque obruitur iustus: *Iste*, inquit, *moritur robustus et sanus, dives et felix. Viscera eius plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur. Alius vero moritur in amaritudine animae absque ullis opibus. Et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos.* Ex quo consequens esse vult, ut non in hoc mundo, sed in alia vita parata a Deo retributio sit. Et hanc tacitam consequentiam expressis iam verbis enuntians: *Interrogate quemlibet de viatoribus, et haec eadem illum intelligere cognoscetis, quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur.* Quam quidem diem, diem futurae seu aeternae perditionis necesse omnino est intelligi. De illo enim iniquo sermo est de quo supra; qui laetos dies egit, qui absque dolore mortuus est dives et felix: imo vero, cui nequidem gloria posthuma in terra denegatur, sicut ex proxime consequentibus liquet: *Quis arguet coram eo viam eius? et quae fecit, quis reddet illi? Ipse ad sepulcra ducetur* cum pompa et maiestate. Ipse *in congerie mortuorum vigilabit*, quasi princeps super eos constitutus. *Dulcis fuit glareis Cocyti* (1), *et post se omnem hominem trahet, et ante se innumerabiles*, dum so-

(1) Cocytus hic a vulgato interprete pro quovis fluvio vel torrente positus est. Glarea vero genus est terrae arenosae. Quia ergo apud antiquos sepulcra nobilium ad ripas fluminum plerumque ponebantur, *glareas Cocyti*, pro sumptuosis monumentis recte accipies.

lemnis delatio cadaveris ad sumptuosum monumentum, non tam tristis et amara fuit, quam laeta et suavis, utpote honoribus referta, floribus ornata, iisque demum omnibus decorata quae mortis horrorem valeant dissimulare. Unde tandem omnem altercationem disputationis suae concludit Iob his verbis: *Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?* Quippe Eliphaz et Baldad et Saphar convenerant ut afflictum consolarentur. Id tamen non alia via tentaverant, quam exhortando eum ut de admissis sceleribus poenitentiam ageret, pollicentes infallibile fore ut acta semel poenitentia, cuncta ei prospera denuo redirent (1). Hanc ergo consolationem frustraneam et inanem vocat vir sanctus, siquidem ex argumentis quibus adstruxit pios aeque ac impios aerumnis in hac mortali vita afflictari, palam apparuit ineptum esse solatii genus, si quis viro afflicto quem censet impium, poenitentiam agere suadeat, promittens, si in gratiam Dei redeat, futurum esse ut secundae res ad votum succedant, et opes, honores, commoda circumfluant. Frivolum, inquam, solatii genus, quia res plane incerta est. Neque enim ex reditu in Dei benevolentiam efficitur ut qui iam pius est, fortunetur: cum constet plerosque iustissimos aerumnis consumptos interire, et e contrario plerosque improbos ad mortem usque florentes perdurare. Plane ergo allata consolatio *repugnare ostensa est veritati,* siquidem habet veritas bonos et malos promiscue in hac vita affligi, neque ex opibus vel inopia firma vitii aut virtutis argumenta produci, sed superesse aliam vitam in qua boni praemiis cumulandi, improbi vero commeritas poenas in sempiternum daturi sint (2).

Haec quidem divina philosophia libri Iob. Et vere dico divinam. Nam postquam Iob pluribus prosecutus esset suam innocentiam et tres eius amici omisissent respondere ei, locum dantes quinto interlocutori, nempe Eliu, iuveni loquaci et teme-

(1) Vide consolatoriam promissionem Eliphaz (V, 17-27). Promissionem Baldad (VIII, 2 7). Promissionem Saphar (XI, 14-19).

(2) Ita Corderus in h. l.

rario, qui thesim trium seniorum modo suo reassumit, male eam ab illis propugnatam existimans: ecce tandem Deus ipse disputationi se interponit. Iubet sibere Eliu; ipsum quoque Iob redarguit, ut qui in suis lamentationibus modum nonnihil excessisset. At nihilominus finem facit confirmando quaecumque ille de rationibus providentiae in ordine ad futuram vitam, contra Eliphaz et Baldad et Saphar disputaverat.

Veniam nunc ad Psalmos, a quibus fidem vitae futurae aliqui tollere non erubescunt, sese potissimum munientes sequentibus locis: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* (Ps. VI-6). *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum, sed nos qui vivimus, benedicimus Domino* (Ps. CXIII-17). *Quae utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis aut annuntiabit veritatem tuam?* Ps. XXIX-10). *Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione? Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et iustitia tua in terra oblivionis?* (Ps. LXXXVII-12). Quae omnia parallela sunt iis quae leguntur in cantico Ezechiae, Isa. XXXVIII-18: *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam. Vivens, vivens ipse confitebitur tibi sicut et ego hodie, pater filiis notam faciet veritatem tuam.*

Verumtamen non haec profecto sunt quae vel specie tenus materialisticae interpretationi favere possint. Ibi enim considerat Psalmista ea solummodo quae cadavera in sepulcris patiuntur, et cum laudum meminit, eas laudes significat quibus homines his in terris, meritorie scilicet et cum aedificatione proximorum, Deum prosequuntur; minime vero illas quibus ipsum celebrant animae separatae, a nobis terrigenis et nostris rebus longe longeque remotae. Uno verbo, de mortuis sermo est relate ad mundum in quo sumus, et ad officia quae in eo, eoque solo adimpleri possunt. Neque enim extra hunc praesentem

mundum locus est *praedicandi praeceptum Domini* (1), *annuntiandi nomen Domini in portis filiae Sion* (2), *narrandi nomen Domini fratribus, et in medio Ecclesiae laudandi eum* (3), *benedicendi eum in ecclesiis* (4), *in ecclesia magna, in populo gravi* (5), *narrandi filiis qui nascentur virtutes eius, et mirabilia eius quae fecit* (6), *notam faciendi filiis hominum potentiam eius, et gloriam magnificentiae regni eius* (7), etc. Quid ergo mirum si dum respicitur ad officium serviendi Deo, per eam praesertim laudem qua caeteri ad divinum cultum informentur, abstractio fiat ab iis quae aguntur in altera vita, ut ea tantum spectentur quae de mortuis residua sunt apud nos, silentium et tenebrae sepulcrorum, pulvis et cineres cadaverum? Quid mirum si duo ex praecitatis psalmis 29.us et 87.us, habentur ut scripti in persona Christi petentis a Patre resurrectionem, sine qua compleri non poterat negotium quod susceperat, clarificandi Patrem super terram, et annuntiandi nomen eius hominibus? Aut si haec in materialisticum sensum trahere placet, quidni eamdem calumniam inferes Evangelio, ubi legitur Ioan. IX-4: *Venit nox* (id est mors), *quando nemo potest operari?*

Et re quidem vera, nihil magis absonum dici unquam poterit, quam quod exsulet fides et spes vitae futurae in psalmis illis qui de Deo eiusque religione et cultu tam sublimibus ubique referti sunt sensibus, quique affectus omnes animae sanctae, animae fidelis, animae in deserto huius mundi peregrinantis, ad vivum sic exprimunt, ut eadem veritate eademque actualitate usque nunc canantur in ecclesia christianorum, qua olim in Israel. Cogita praesertim id quod proprius horum can-

(1) Ps. II-6.
(2) Ps. IX-15.
(3) Ps. XXI-23
(4) Ps. XXV-12.
(5) Ps. XXX-18.
(6) Ps. LXXVII, 4-6.
(7) Ps. CXLIV-12.

ticorum character, distinctivaque tessera est: stupendam nimis, fiduciaque simul et humilitate plenam ad Deum familiaritatem (1); amorem ad eius conspectum ac praesentiam perpe-

(1) « Je trouve dans les poètes, dans les écrivains de toutes « les nations, les grandeurs de Dieu, et je n'en suis point surpris. « Il suffit de regarder le ciel et la terre pour avoir l'idée d'un « grand pouvoir, et cette idée est à tous les hommes, excepté aux « athées qui se sont mis hors de l'espèce humaine. Mais la bonté « de Dieu! Elle a été aussi aperçue chez tous les peuples, j'en con- « viens; elle est si visible! Cependant je ne la vois sentie que « par les auteurs de la Bible et les chrétiens. Eux seuls sont élo- « quents sur cet attribut de la divinité, qui de tous est le plus « près de nous... Que dans les mêmes livres où se montrent sans « aucun alliage les idées les plus pures et les plus hautes de la « divinité, comme cela n'est pas même contesté; que dans les « livres pleins du plus profond respect pour Dieu, et de la crainte « de Dieu la plus religieuse, le Très-Haut paraisse en même temps « traiter l'homme comme un ami dans la force du terme, sans que « cette espèce de commerce si extraordinaire affaiblisse jamais dans « l'homme la vénération et la soumission, c'est ce qui est pour « moi une démonstration morale de l'inspiration divine, et ce qui « devrait être au moins, pour tout homme de sens et de bonne « foi, matière à examen et à réflexion... C'est de ce sentiment « de la bonté que nait celui de l'amour dans les Prophètes, et « principalement dans le Psalmiste. *Il fera*, dit David, *la volonté « de ceux qui le craignent.* Quel homme ne croirait pas dégrader « la divinité par de semblables expressions?... C'est que dans « toutes nos idées sur les grandeurs divines, quand ces idées ne « sont que de nous, nous mêlons toujours involontairement ce qui « dans nous se mêle plus ou moins à toute grandeur, l'orgueil. « L'orgueil est l'attribut nécessaire de l'imperfection; il appartient « à tout ce qui est sujet à comparaison; tout être qui peut se « comparer à un autre est donc sujet à l'orgueil. Dieu ne saurait « être orgueilleux, parcequ'il ne peut se comparer à rien, et c'est « aussi pour cela qu'il ne peut pas craindre comme nous de de- « scendre... La main de Dieu est une figure reçue, mais je ne « crois pas qu'aucun auteur eût risqué de dire avec David: *Si le « juste tombe, il ne sera pes froissé, parceque le Seigneur avancera « la main pour le soutenir.* Cette figure ne nous aurait-elle pas « paru trop petite? Mais supposons qu'elle passe, si l'on veut, « grâce à l'habitude et à l'éducation, en voici une où tous les « lecteurs, quoique bien avertis, vont se récrier tout d'une voix: « *Heureux l'homme attentif aux besoins du pauvre et de l'indigent. « Le Seigneur l'assistera sur le lit de sa douleur. Oui, Seigneur, « votre main retournera son lit pour reposer ses infirmités.* Dieu

tuo anhelantem (1); dilectionem in eius legem miris undique modis exardescentem. Quam legem divinus Psaltes « nocte die- « que versat, huic intelligendae inhiat, non a manibus, non ab « ore dimittit; hanc gestat in oculis, hanc imo pectori medullis- « que infigit; huius admiratur speciem, arcana scrutatur; in « ea spem, gaudia, gloriam, divitias, amicitias, consilia omnia « denique reponit, huius aequitati ac rectitudini se aptat; et ea

« retourner un lit! Riez, grands esprits. J'avoue que ces figures « là ne sont pas de votre rhétorique, mais elles sont du bon Dieu « des chrétiens qui savent que rien n'est petit dans sa bonté. « David ne tarit pas sur les miséricordes de Dieu, et sur le bon- « heur de l'aimer. *Qu'elles sont grandes, ô mon Dieu, les dou- « ceurs que vous réservez à ceux qui vous craignent! Vous les ca- « cherez dans le secret de votre face, loin de la persécution des « hommes; vous les mettrez en sûreté dans votre tabernacle, à l'abri « de la contradiction des langues. Je disais dans l'excès de mon trou- « ble: mon Dieu, vous m'avez donc rejeté loin de vous, et tandis « que je vous adressais ma prière, vous m'aviez déjà exaucé...* ». Laharpe, Discours préliminaire sur les Psaumes.

(1) « David s'écrie au commencement du Psaume 41: *Comme « le cerf altéré cherche l'eau des fontaines, ainsi mon âme vous dé- « sire, o mon Dieu. Mon âme a soif du Dieu vivant, du Dieu fort. « Oh! quand est-ce que j'irai et que je paraîtrai en la présence de « mon Dieu?* Où a-t-on vu ce désir de paraître devant Dieu si vi- « vement exprimé? S'il n'était pas surnaturel, on le trouverait « dans les prières des autres religions; mais il n'y est pas, il n'y « est jamais. Horace prédit à Auguste qu'il sera dieu, ce qui est « beaucoup plus que de voir Dieu; mais il lui conseille de ne pas « se presser, malgré tout le plaisir qu'il peut y avoir à être dans « l'Olympe. *Serus in coelum redeas.* Il a raison, il ne faut être « dieu de cette manière que le plus tard possible... David ne paraît « jamais vraiment affligé que de deux choses, de ses péchés, et des « injures qu'on fait à son Dieu. C'est encore ce qu'on ne ren- « contre pas dans l'antiquité païenne. Partout, il est vrai, les hi- « storiens, les poètes, les philosophes détestent le sacrilège et l'im- « piété; c'est une disposition naturelle et générale. Mais aucun ne « va jusqu'à s'en affliger, jusqu'à s'en faire un sujet de chagrin. « Il n'y a que David qui dise et redise: *Je me nourris le jour et « la nuit du pain des larmes, parceque j'entends qu'on me dit sans « cesse, où donc est ton Dieu. Ces blasphèmes sont dans ma mémoire, « et je rentre dans mon âme jusqu'au jour où je passerai dans les « festins des justes. J'ai vu les prévaricateurs, et j'ai séché d'af- « fliction parcequ'ils n'observaient pas vos paroles...* » Id. Ibid.

« se regit, se tuetur, se exornat... Et postquam voluptate amens, « a lege aberravit, insecuti gemitus tristiores, iique continui. « Tum ex imo pectore non modo suspiria, verum etiam fremitus; « non aves solitariae flebilius sonant, non leo rugit violentius. « Tum ipso luctu contabescentes artus, nec modus lacrimis: « his cibos, his lectum irrigat; versi in fontes oculi; deductique « in sinum rivi ne ipsa quidem venia exarescunt » (1). Quis iam talem Dei amatorem, zelatorem, quaesitorem, de aeterna vita nihil scire, nihil cogitare suspicabitur, velut aequam reputaret conditionem hominis cum conditione iumenti quod hodie est et cras in terram suam totum revertetur?

Nunc autem audi dicentem: *Quid mihi est in caelo, et a te quid volui super terram?... Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum* (2). Et rursus: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te* (3). In aeternum, inquit, et in saecula saeculorum. Non ergo ad breve illud spatium praesentis vitae, in quo velut herba transit homo, mane floret et transit, vespere decidit, indurat, et arescit (4). Audi iterum: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos, quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen*, et nota quomodo exuberantiam istam sanctae et a Deo praestitae voluptatis, fragilis huius et egenae mortalitatis conditio non capit. Audi celebrantem beatitudinem hominis qui operatus iustitiam, *non movebitur in aeternum*, sed habitabit in tabernaculo Domini et requiescet in monte sancto eius (5); hominis qui praeventus benedictionibus dulcedinis, *petiit a Deo vitam ,et accepit longitudinem dierum in saeculum et in saeculum saeculi* (6); quem misericordia Dei subsequitur omnibus diebus vitae suae, *ut inhabitet*

(1) Bossuet, in Ps.
(2) Ps. LXXII 25.
(3) Ps. LXXXIII-5.
(4) Ps. LXXXIX-6.
(5) Ps. XIV, 1-5.
(6) Ps. XX 5.

in domo Domini in longitudinem dierum (1); cuius denique *iustitia manet in saeculum saeculi, et cornu exaltabitur in gloria* (2). Audi adhuc canentem: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius* (3), et prophetizantem de Christo qui dux nobis est et praecursor in aeternam vitam: *Caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem,* seu, ut vertit Hieronymus: Ostendisti mihi semitam vitae, plenitudinem laetitiarum ante vultum tuum, decores in dextera tua aeternos (4).

Concludamus cum psalmo septuagesimo secundo, in quo lugenda describitur peccatorum sors, et propalantur altissimae Providentiae viae, proposito per prius solito aenigmate de prosperitate impiorum et piorum afflictione, indeque enascente scandalo in populo Dei: *Quomodo scit Deus, et si est scientia in Excelso? Ecce ipsi peccatores et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias. Et dixi: Ergo sine causa iustificavi cor meum et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis?* Et prosequitur Psaltes

(1) Ps. XXII-6.

(2) Ps. CXI 9 Et rursus observa argumentum minime innititi in hoc, quod verbis istis *in aeternum*, vel *in saeculum saeculi*, significetur ea quam nos vocamus aeternitatem. Satis enim est pro praesenti puncto quaestionis, ut ea importetur duratio quae non possit ad breves huius praesentis vitae terminos coarctari. Eo vel magis quod admissa semel vita futura de qua nunc sermo, interminabilem illam agnoscere necesse est, cum nulla sit excogitabilis causa interitus, ex quo concessum est, animam vel uno momento corpori esse superstitem.

(3) Ps. CXV 15. Numquid forte pretiosus reditus in nihilum, praesertim in conspectu eius qui mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum? Ideo ergo pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, quia per mortem consequuntur statum in quo malitia non potest amplius mutare cor eorum, sed fiunt haereditas Dei, immobili iam ordine adhaerentes Deo, et ab ipso nusquam in posterum separandi.

(4) Ps. XV-9.

dicens: *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me.* Quibus verbis difficultatem propositae quaestionis significat, imo omnimodam insolubilitatem quamdiu quis res vitae praesentis non transgreditur. « Iamdiu laboro, inquit, et ante faciem « meam laborem quemdam inextricabilem video, ut cognoscam « quomodo et iustus sit Deus, et res humanas curet, et non « sit iniquus, quod peccantes et scelera facientes felicitatem « habent in hac terra, pii vero et Deo servientes in tentatio- « nibus plerumque et in laboribus fatigantur. Magna difficul- « tas est hoc scire, sed *donec intrem in sanctuarium Dei.* In « sanctuario enim Dei quid tibi praestatur, ut hanc solvas « quaestionem? *Et intelligam*, inquit, *in novissimis eorum.* « Ergo, inquit, de sanctuario Dei intendo oculum in finem, « praesentia transgredior. Totum hoc quod vocatur genus hu- « manum, omnis ista massa mortalitatis ventura est ad exa- « men, ventura est ad libram ». Et statim haec ipsa impiorum novissima explicans: *Quomodo facti sunt in desolationem! Subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Ubi vita praesens comparatur somnio, quod in iudicio Dei evigilatio consequitur. « Fac hominem in « somnis videre se invenisse thesauros; dives est, sed donec « evigilet. *Velut somnium surgentium*: sic defecerunt quo- « modo somnium evigilantis. Quaeritur igitur, et non est: « nihil in manibus, nihil in lecto. Pauper dormierat, dives in « somnis factus fuerat. Si non evigilasset, dives esset; evigi- « lavit, invenit aerumnam quam dimiserat dormiens. Et isti « invenient miseriam quam sibi comparaverant; cum evigila- « verint de hac vita, transit illud quod quasi in somno teneba- « tur, veluti somnium exurgentis. Et ne diceretur. Quid ergo? « parva tibi videtur claritas eorum, parva tibi videtur pompa « eorum, parvi tibi videntur tituli, imagines, statuae, laudes, « cunei clientium? Domine, ait, *in civitate tua imaginem il-* « *lorum ad nihilum rediges* » (1). Haec sunt illa novissima de

(1) **August. Enarrat, in Ps. 72.**

quibus in alio psalmo dicitur: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos, et dominabuntur eorum iusti in matutino* (1), et rursus in alio: *Exultabunt sancti in gloria, et gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus....., ut faciant in eis iudicium conscriptum, gloria haec est omnibus sanctis eius* (2), iuxta illud Sap. III-3: *Tamquam aurum in fornace probavit* iustos *et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum... Iudicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Et alia multa sunt eiusdem sensus eiusdemque argumenti, velut apud Danielem caeterosque prophetas, quae tamen transcribere nunc non vacat, quoniam opportunior de iis mentio erit, ubi de inferno, de paradiso, de futura resurrectione.

Itaque traditione maiorum necnon et sacris suis libris eruditi, veteres Synagogae fideles de vita futura loquebantur haud aliter ac nos. « Quoniam filii sanctorum sumus, aiebat « Tobias, et vitam illam expectamus quam Deus daturus est « his qui fidem suam nunquam mutant ab eo ». Et Eleazarus, 2 Mach. VI-26: « Nam etsi in praesenti tempore suppliciis « hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus nec « defunctus effugiam ». Et cum plagis perimeretur, ingemuit et dixit: « Domine, manifeste tu scis quia cum a morte pos- « sem liberari, duros corporis sustineo dolores; secundum a- « nimam vero propter timorem tuum libenter haec patior ». Et septem fratres una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter, dicentes: « Dominus Deus aspiciet veritatem, et con- « solabitur in nobis, quemadmodum in protestatione cantici « declaravit Moyses: Et in servis suis consolabitur ». Et supra modum mater mirabilis, quae pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem quam in Deum habebat, singulos illorum hortabatur voce patria dicens: « Nescio qualiter in utero meo apparuistis....

(1) Ps. XLVIII-15.

(2) Ps. CXLIX-7 et 9.

« Sed enim mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, « et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam, « sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius ». Et Ioan. XI-24. Martha respondens ad Iesum dicentem sibi: resurget frater tuus, fidem in qua fuerat enutrita testabatur his verbis: « Scio quia resurget in resurrectione in no- « vissimo die ». Unde etiam ex historia constat, sat recentem fuisse sectam Sadducaeorum qui dicebant *non esse resurrectionem, neque angelum neque spiritum*, eamque eodem loco habitam fuisse apud Iudaeos, quo nunc habentur materialistae apud nos (1).

Sic igitur, in utroque Testamento uniformis est, constans, et perpetua asseveratio tum vitae futurae, tum vitae praesentis tamquam praeparationis et viae ad illam. Nunc autem, quod non ultra terminos huiusmet praesentis vitae via continuetur, quod ab exitu terrestris nostrae peregrinationis dependeat immobilis status sive beatitudinis sive damnationis, quod denique ut explorata haeresis habenda sit opinio Origenis hodiedum a nonnullis scriptoribus male renovata, paulo diligentius superest declarandum.

§ 2.

Et primo quidem constat haec veritas ex auctoritatibus superius allatis. Constat, inquam, ex Matth. XXV, ubi denuntiatur iudicium ultimum exclusive exercendum circa gesta praesentis vitae, et terminandum duplici sententia vel aeternae remunerationis vel aeterni supplicii. Futurus est igitur immobilis quidam status seu poenae seu beatitudinis, et quidem ab huius vitae exitu de integro pendens.

Idem quoque eruitur ex parabola de Lazaro paupere et divite epulone, in qua uterque asseritur recepisse prout gessit dum hic viveret, et in ea conditione iam inveniri in qua status

(1) In hoc quoque Sadducaei pro heterodoxis habebantur, quod nullos sacros libros recipiebant praeter Pentateuchum, ut refert Hieronymus in Matth. c. 22.

amplius mutari non possit. Huc enim spectant verba quae ponuntur in ore Abrahae: *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare* (1). Huc etiam petitio posita in ore epulonis de mittendo aliquo ex mortuis ad fratres suos, ut moneantur illi agere id quod ipse agere iam non poterat, id est, poenitentiam.

Rursus ad idem pertinent gravissimae monitiones Christi, de truncandis omnibus propinquitatibus et necessitudinibus quae scandalum afferre possunt, de abnegando semetipso et tollenda cruce, de necessitate orandi et vigilandi in continua ultimi diei exspectatione, ne quis deprehensus in crapula et ebrietate et curis huius saeculi, aeternum animae suae patiatur detrimentum. Quae omnia manifeste supponunt decisivum esse momentum mortis, nec ultra patere tempus meriti vel demeriti, poenitentiae a malis operibus, vel vice versa defectionis a statu iustitiae, sed tunc villicationi et viae definitivum imponi finem.

Et confirmatur ex Apostolo, 2 Cor. V-10: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* Quidquid enim de nobis disponetur in futuro saeculo, de hoc iudicio descendet iuxta constantem Scripturae doctrinam. Nunc autem iudicium ipsum non erit nisi circa ea quae egerimus per corpus, id est, dum in hac mortali vita eramus constituti. Unde infra, VI-2, subdit Apostolus: *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et, Gal. VI-9: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Et, Heb. III-13: *Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Ubi materiam exhortationis sumit ex verbis psalmi nonagesimi quarti (*hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*), adaptando ly *hodie* ad totum spatium quo haec terrestris vita protenditur. Do-

(1) « Inter hunc igitur divitem et pauperem chaos magnum « est, quia post mortem nequeunt merita mutari ». Ambros. l. 8 in Luc. n. 18.

nec hodie cognominatur, inquit. Id est, quamdiu concessus vobis decurrit dies, antequam veniat nox illa in qua nemo potest operari, nemo ab obduratione peccati recedere, ut conversus a malitia in bonitatem, ingredi valeat requiem iustis repromissam.

His gemina sunt quae leguntur Ioan. V, 25-29, ubi distinguuntur duo tempora in quibus auditur vox Filii Dei. Primum tempus est tempus praesentis vitae: *Venit hora, et nunc est,* inquit, *quando mortui audient vocem Filii Dei,* mortui nimirum spirituales, in feretro peccatorum iacentes; ad quos fit vox Filii Dei, ut spiritualiter resurgant. Et ideo dicit: *Et qui audierint, vivent,* quia etsi ad multos fiat evocatio, non tamen omnes audiunt, id est obsequuntur. Alterum vero tempus est tempus consummationis saeculi, de quo subdit: *Venit hora,* sed non quae nunc est, *in qua omnes qui in monumentis sunt,* vita scilicet iam defuncti, *audient vocem Filii Dei.* At cuiusmodi vocem? Non qua pulsetur iam liberum eorum arbitrium, (unde non fit amplius distinctio inter obsequentes aliquos et non obsequentes alios), sed qua trahantur in anima et corpore ad iudicium: *Et procedent,* inquit, *qui bona fecerunt,* utique dum mortali vita fungebantur, *in resurrectionem vitae, qui vero mala, in resurrectionem iudicii.*

Quapropter veritas ista semper fuit in expressa atque explicita Ecclesiae praedicatione, et quamquam nulla afferri possit solemnis de ea definitio, adhuc tamen a Patribus tamquam fidei catholicae dogma, vel expresse traditur, vel aperte supponitur. Sic Augustinus redarguens Faustum Manichaeum, qui non alia via aiebat posse salvari verba Evengelii Matth. VIII-11, de Abraham, Isac, et Iacob (1), quam dicendo ipsos, etsi in omni vita sua flagitiosissimos, ad regnum tamen caelorum quod nec crediderant nec speraverant, virtute mysticae passionis Christi fuisse postea reductos: « Frustra sibi sane per hanc « obliquitatem pollicetur Faustus, aliquid post hanc vitam « cuiquam posse praestari, quod sibi praestandum in hac vita

(1) » Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum « Abraham, Isaac et Iacob in regno caelorum ».

« non comparavit. Bonum est vobis ut dum hic vivitis, istum « relinquatis errorem, et veritatem catholicae fidei cognoscatis « atque teneatis. Alioquin, longe aberit quod sibi pollicetur « iniustus, cum fieri coeperit quod iniusto minatus est « Deus (1) ». Et Enchirid. c. 110: « Quocirca hic omne meri- « tum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quis- « piam vel gravari. Nemo se autem speret, quod hic neglexe- « rit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista quae « pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi aposto- « licae sunt adversa sententiae qua dictum est: *Omnes enim « adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque se- « cundum ea quae per corpus gessit, sive bonum sive malum,* « quia hoc meritum sibi quisque dum in corpore viveret compa- « ravit, ut ei possint ista prodesse. Non enim omnibus prosunt, « et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vi- « tae quam quisque gessit in corpore? » — Item Chrysostomus, Hom. 2 de Lazaro, n. 3: « *In omnibus,* inquit Eccli. VII-40, « *memento novissima tua...* Ac rursus, Prov. XXIV-27, *para ad « exitum.* Si quid rapuisti, redde, et dicito iuxta Zachaeum: « Do quadruplum... Si quem calumniatus es, si cui factus es « inimicus, reconciliare priusquam veniatur ad iudicium. Om- « nia hic dissolve, ut citra molestiam illud videas tribunal. Do- « nec hic fuerimus, spes habemus praeclaras. Simul vero ac ci- « scesserimus illuc, non est postea in nobis situm poenitere, ne- « que commissa diluere. Quapropter oportet nos assidue prae- « parari ad egressum hinc faciendum ». — Et Hieronymus, Comment in c. 11 Ecclesiastae, super illa verba: *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceci- derit, ibi erit*: « Ubicumque tibi locum praeparaveris, futuram- « que sedem, sive ad austrum sive ad boream, ibi cum mortuus « fueris permanebis... Et tu quasi lignum, quamvis longaevus « sis, non eris in perpetuum, sed subito ut ventorum, ita mortis « tempestate subversus, ubicumque ceciderit, ibi iugiter perma- « bis, sive te rigidum et trucem, sive clementem et misericor-

(1) **August. l. 33 c. Faust. c. 44.**

« dem ultimum invenerit tempus ». — Et Nazianzenus, Orat. 40 in sanctum baptisma, n. 24: « Illuminationem suscipite « quamdiu per tempus licet, ne vos a baptismo disiunctos te- « nebrae comprehendant. Venit nox, quando nemo potest ope- « rari, nimirum post discessum ex hac vita. Haec verae il- « lius lucis vox est, quae omnem hominem in mundum ve- « nientem illuminat... Veniet repente vitae finis in die quam « non exspectas, ac cum adveniet, quasi malus viator, gra- « tiae inopia atque in tantis bonitatis opibus fame labora- « bis... Miserum est, serum consilium capere, ac tum damni sen- « su affici, cum nulla iam ratione acceptum incommodum sar- « ciri potest, hoc est, postquam hinc excesserimus, acerbeque « conclusa fuerint quae quisque in hac vita gessit, atque et sce- « lerati homines supplicio, et qui animos purgarint, splendore « affecti fuerint ».

Imo ipse consonat Origenes, dum simplicis fidei dictamen et ecclesiasticae praedicationis ductum sequens, theoriis Platonicorum non praeoccupatur. Nam, Hom. 18 in Ieremiam, n. 1, docet animam in praesenti vita esse instar vasis lutei quod de forma in formam transire potest, nimirum de vitio in virtutem, et de virtute in vitium; animam vero post mortem esse sicut vas testaceum quod igne iam obduratum, nequaquam est novae formae susceptivum: « Dum sumus in hac vita, inquit, forma- « mur, ut sic dicam, propter hoc luteum vas nostrum fictilium « more, et formamur vel ad malitiam vel ad virtutem. Verum « sic formamur, ut fieri possit et malitiam conteri nostram, ut « fiat nova creatura praestantior, et progressus nostros post for- « mationem resolvi in luteum vas. Cum autem transacto hoc « saeculo ad vitae finem pervenerimus, et postea igniti... facti « fuerimus quodcumque fuerimus, tunc si conteramur, sive « postquam bona vasa in salutem, sive postquam mala vasa fac- « ti fuerimus in perditionem, non renovamur, neque structura « nostra ad meliorem statum reduci potest. Quamobrem cum in « hac vita sumus, quasi in manu figuli sumus, et licet ceciderit « vas e manibus eius, reparari et reformari potest ».

Aliter equidem Origenes loquitur in plerisque operibus

suis, et ideo primus apud Christianos auctor habetur illius sententiae qua terminus viae mors negatur. Sed omnia quae causam eius spectant, nedum infirment inconcussam certitudinem praesentis dogmatis, illam prorsus confirmant, et demonstrant etiam magis. Certe ipsum Origenem, *maxime propter alternantes sine cessatione beatitudinés et miserias, et statutis saeculorum intervallis ab istis ad illas, atque ab illis ad istas itus ac reditus interminabiles, non immerito reprobavit Ecclésia*, inquit Augustinus, l. 21 de civit. c. 7. Et quidquid sit de authenticitate canonum qui sub nomine Synodi quintae oecumenicae antea pervulgabantur (1), prostat Origenis condemnatio in epistola Anastasii Papae ad Ioannem Ierosolymorum episcopum. In qua quidem asserit Pontifex, voluisse Origenem, *fidem apostolorum, et maiorum traditione firmatam, velut deviis anfractibus dissolvere*. Tum de versione latina libri περι αρχων a Rufino exarata addit: « Approbo si accusat auctorem, et exsecran-
« dum factum populis prodit, ut iustis tandem odiis teneatur,
« quem iam dudum fama constrinxerat. Si vero interpres tanto-
« rum malorum consensum praestat, et legenda prodit in po-
« pulos, nihil aliud sui opera laboris extruxit, nisi ut propriae
« veluti mentis arbitrio haec quae sola, quae prima, quae apud
« catholicos christianos vera fide iam exinde ab apostolis in hoc
« usque tempus tenentur, inopinatae titulo assertionis everteret.
« Absit hoc ab Ecclesiae Romanae catholica disciplina. Nun-
« quam profecto eveniet, aliqua ut admittamus ratione quae
« iure meritoque damnamus... Hactenus sententiae meae forma
« processerit » (2). Et plura de hac re documenta proferentur infra ubi de aeternitate poenarum. Id unum nunc adiicere placet: omnes scilicet antiquos qui patrocinium Origenis susceperunt, in duas classes distribui. Alii fuerunt dubiae fidei, et non intemeratae orthodoxiae, sicut Eusebius Caesariensis ariana labe infectus, in apologia illa quae sub nomine Pamphili martyris

(1) Ii canones sunt, qui apud Denzinger, n. 187-201, sub asterisco nunc ponuntur.

(2) Migne, Patr. Lat. Tom. 21, col. 629, seq.

edita est (1). Orthodoxi vero nihil unquam aliud pro defensione doctoris alexandrini protulerunt praeter adulterationem scriptorum eius ab haereticis (2). Hanc quidem adulterationem veluti impossibilem fabulam explodit Hieronymus (3), sed ipsa defensionis ratio luculenter ostendit quam longe in omnium catholicorum persuasione, a recta fidei regula dissidebant origenianae sententiae, et in specie opinio illa quae ultra terminos praesentis vitae protrahit facultatem poenitendi, merendi, vel etiam demerendi.

Nota in fine quod Origenes in hac sua opinione firmatus est ex falsa conceptione liberi arbitrii. Putat enim esse de essentia eius, ut vel in bonum vel in malum flecti possit. Cum igitur liberum arbitrium in creaturis rationalibus semper remaneat, concludit nullum esse possibilem terminum mutabilitati earum, sive de bono in malum, sive de malo in bonum, et consequenter introducit perpetuas illas vicissitudines beatitudinum et miseriarum supra memoratas, *dum accessus profectuum defectuumve varios, pro motibus vel conatibus propriis unusquisque pro liberi arbitrii facultate perpetitur* (4). Et re quidem vera, posito semel principio, recta et necessaria consequentia non deest. Nam sicut immobilis beatitudo esse non potest, ubi adhuc possibile peccatum, ita nec status poenarum aeternus, ubi adhuc penes voluntatem est ut rectificet se. Quippe, contra Dei bonitatem esset, si ii qui iam bonam voluntatem haberent,

(1) Vide Hieronymum l. 2 Apolog. adversus Rufinum c. 6; item l. 3, c. 4; item, epist. ad Pammachium c. 4, etc.

(2) « Sed dicet aliquis corruptos esse Origenis libros. Non re-« sisto, quin potius et malo. Nam id a quibusdam et traditum et « scriptum est, non catholicis tantum, verum etiam haereticis. Sed « illud est quod nunc debemus advertere, etsi non ipsum, libros « tamen sub nomine suo editos magnae esse tentationi; qui multis « blasphemiarum vulneribus scatentes, non ut alieni, sed quasi « sui et leguntur et amantur, ut etsi in errore concipiendo Origenis « non fuit sensus, ad errorem tamen persuadendum, Originis aucto-« ritas valere videatur ». Lirinensis, Commonit. c. 17.

(3) Hieronym. epist. ad Avitum.

(4) Origines, περι αρχων l. 1, c. 6, n. 3.

in perpetuum ab eius misericordia repellerentur. Sed principium unde consequentia sumitur, est falsum, quia de essentia liberi arbitrii non est activa indifferentia circa finem ipsum, a quo omnis actuum moralium bonitas vel malitia dependet. Id quidem exemplatum perspicimus in libertate archetypa seu divina. Id quoque iam ex nunc quadantenus adumbratum cernimus apud nos, pro quanto nihil appetere valet voluntas nisi sub ratione boni. Inde enim manuducimur ad intelligendum quomodo contra rationem libertatis non sit obfirmatio in fine, quicumque tandem ille sit, sed solum carentia activae indifferentiae circa media quae sunt ad finem. Non igitur ex hoc quod liberum arbitrium perpetuo in creaturis rationalibus manet, concludendum est cum Origene, viam illarum in omnes produci aeternitates. Sed e converso, ex hoc quod uniuscuiusque via certis definitur limitibus, a quibus incipit status termini undequaque immobilis, concludendum est venire instans in quo liberum arbitrium non amplius versatile est circa ipsum finem supremum, sed irreversibiliter figitur in fine illo ad quem erat prius conversum vel actu vel habitu: ita scilicet ut supra cardinem huius finis, seu bonus seu malus ille sit, tota in aeternum moralis vita necessitate absoluta volvatur.

Imo vero concludere oportet, id evenire ex ipsa insita liberi arbitrii natura, statim ac cessant conditiones in quibus per accidens est, quod ad ipsum finem supremum variabilitas eius se extendat. Et quamvis explicatio sit nobis difficilis, res tamen ipsa, etiam in reprobis, valde in promptu est. Neque enim causa obstinationis eorum sumi potest ex parte Dei, cui plane repugnat ut voluntatem determinet ad malum, vel eam obfirmet in fine sibi contrario. Neque iterum ex parte poenae, quae de sui ratione vindicativa est, et non causativa deordinationis moralis. Neque tandem ex parte aeternitatis damnationis nullum spei relinquentis locum, quia aeternitas damnationis ab aeternitate malitiae pendet, et non vice versa, aeternitas malitiae ab aeternitate damnationis. Quisquis enim de Dei bonitate recte sentit, videbit evidenter quod non ideo reprobi immobiliter mali

sunt, quia a Dei misericordia in perpetuum repelluntur, sed e converso, ideo a misericordia Dei manent pro semper exclusi, quia immobiliter mali iam effecti sunt. « Post mortem, inquit « Damascenus, Dial. c. Manichaeos, n. 75, nec conversionis, nec « poenitentiae locus est. Non quod Deus poenitentiam non su- « scipiat, neque enim seipsum negare potest, nec miserationem « suam abiicit. Sed conditio animae est, quae converti ne- « queat ».

Ratio autem metaphysica videtur esse, quia amor alicuius boni tamquam ultimi finis, *per se loquendo*, est definitivus, utpote affectio suprema, caeteras omnes imperans et sibi subordinans, non habens supra se aliam, per quam possit voluntas ab eo quod maxime diligit ac desiderat, revocari. Quod si contingat voluntatem revera resilire ab eo bono cui tanquam ultimo fini semel inhaesit, imo agere praeter ordinem huius boni, etiam antequam resilierit, id quidem *per accidens*. Et hoc accidens habetur apud nos, quamdiu vita praesens durat, propter eum qui eidem vitae proprius est, cognoscendi modum. Inde enim provenit ut affectio primigenia quae omni nostrae volitioni supponitur, non sit nisi affectio ad bonum universale universalitate abstractionis et indeterminationis, quod indifferenter se habet ad fines oppositos, utputa, tum ad bonum privatum seu egoisticum, tum ad bonum summum a quo omnia participant, i. e. Deum. Quia igitur cardo supra quem nunc volvitur nostra voluntas in actibus suis, fixus manet in tali abstracta generalitate boni, explicatur qui fiat ut anima circa ipsos ultimos fines determinatos semper mutabilis remaneat, semperque sit potens ab uno in alium sese convertere. Nam in vi primordialis affectionis quae abstractivum cognoscendi modum consequitur, semper habet in sua potestate velle ea quaecumque sub eius latitudine continentur. Sed statim ac anima separatur a corpore, cessat praedictus cognoscendi modus. Cessat ex consequenti inclinatio illa ad bonum generale et indeterminatum, atque in eius locum ipso facto subrogatur affectio ad determinatum seu concretum illum finem ultimum, cui supremum vitae instans

animam inhaerentem adinvenit: pro quanto scilicet, sublata illa priore, incipit ista primas obtinere partes, ut super eam, immobilis cardinis instar, omnes in posterum volubiles animi affectus ultimato nitantur. Si Deo ut summe dilecto inhaerebat anima, nihil iam velle poterit nisi in ordine ad Deum. Si sibimetipsi, nihil nisi in ordine ad suum privatum bonum. Frustra autem appellabis ad mutationem status, ad experientiam poenarum futurae vitae, ad agnitionem erroris quae vel invitis hanc confessionem extorquebit: *ergo erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis.* Si quis enim bene consideret, manifestum ei erit quod haec scientia de novo adveniens non importat causam revocantem animam ab inordinato amore sui, sed solum causam inducentem poenitentiam illam serviliter servilem, quae facit dolere de peccato pure et exclusive ut est privativum proprii boni. Et haec est poenitentia mala, nequaquam rectificans voluntatem nulloque modo corrigens ordinis perversitatem.

Sic igitur explicari videtur fundamentalis veritas quam adeo clare nos docet revelatio: mortem esse hominibus terminum viae, idque non ex arbitraria Dei lege, sed omnino ex natura rei. Nunc considerandus iam venit status qui mortem consequitur, et primo quidem quoad animas a corpore separatas, usque ad tempus universalis resurrectionis in die iudicii.

CAPUT SECUNDUM

DE STATU ANIMARUM POST MORTEM

Deinde considerandum de iis quae spectant animas a corpore separatas. Et primo, *de iudicio particulari*, quo statim post egressum ex hac vita, omnes a Deo singillatim iudicantur, et locum accipiunt suis meritis congruentem. Secundo, *de inferno*, *de purgatorio* et *de paradiso*, quae totidem sunt receptacula diversitati meritorum assignata (1). Tertio *de relationibus defunctorum* ad homines adhuc in terra degentes, et

(1) « Receptacula animarum, inquit S. Thomas Suppl. Q. 69, « a. 7, distinguuntur secundum diversos status earum. Anima autem « coniuncta mortali corpori habet statum merendi, sed exuta a cor- « pore est in statu recipiendi pro meritis bonum vel malum. Sic « ergo post mortem, vel est in statu recipiendi finale praemium, « vel est in statu qui impeditur ab illo. Si autem est in statu « recipiendi finalem retributionem, hoc est dupliciter: vel quan- « tum ab bonum, et sic est *paradisus;* vel quantum ad malum, « et sic ratione actualis culpae est *infernus;* ratione autem ori- « ginalis est *limbus puerorum*. Si vero est in statu quo impe- « ditur a finali retributione consequenda, vel hoc est propter « defectum personae, et sic est *purgatorium*, in quo detinentur « animae ne statim praemium consequantur, propter peccata quae « commiserunt. Vel propter defectum naturae, et sic est *limbus « patrum*, in quo detinebantur patres a consecutione gloriae propter « reatum humanae naturae, qui nondum poterat expiari ». Sic igitur quinque receptacula distinguuntur. Sed limbus patrum a tempore propalatae sanctorum viae per mortem Christi, amplius non exsistit. De limbo autem puerorum sermo est in quaestione de peccato originali, et de poena ei respondente in futura vita, quando nulla adiungitur culpa personalis. Itaque non remanent nisi tria, id est, infernus, purgatorium, et paradisus, in praesenti considerandа.

hominum hic viventium ad defunctos, ut sic tota disputatio quinque quaestionibus constet, per ordinem iam nunc pertractandis.

Quaestio II.

DE IUDICIO PARTICULARI

Tria sunt quae in praesenti brevem requirunt declarationem: An constet de veritate iudicii statim post mortem ab unoquoque subeundi. Quis sit huius iudicii modus. Quid denique per modum exsecutionis sententiae, ipsum consequatur.

§ 1.

In primis, si de iudicio illo quod unumquemque manet in ipso exitu vitae, auctoritates Scripturae quaerantur, nulla fortasse poterit afferri formalis et expressa. Et de iudicio quidem quod in fine temporum publice est exercendum circa cuncta quae gesserimus in corpore, innumera prostant notissimaque testimonia. Praeter haec, alia quaedam sunt, velut Heb. IX-27, Eccl. XI-14, etc., quae de particulari iudicio optime possunt intelligi; verumtamen ad hanc acceptionem nec contextus nec vis verborum cogit. Convenientius igitur ad ea Scripturarum documenta recurres, in quibus particularis iudicii veritas, etsi non formaliter, at certe virtualiter vel praesuppositive continetur.

Et sane, in Scripturis Sanctis diserte edocemur, animas statim post mortem praemiari a Deo secundum merita, vel puniri. *Facile est coram Deo*, inquit Eccli. XI-28,*in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* Et Luc. XVI-22: *Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ad angelis in sinum Abrahae; mortuus est et dives, et sepultus est in inferno.* Et Paulus 2 Cor. V-1, signanter asserit retributionem coelestem nequaquam differi usque in saeculi finem, sed ad terrestris

huius habitationis dissolutionem (si nihil aliunde luendum supersit), statim recipi. Et Ioannes in Apocalypsi audivit vocem de coelo dicentem sibi: *Beati mortui qui in Domino moriuntur; amodo iam dicit Spiritus ut requiescant a laborubus suis*, id est, iam ex nunc requie potiantur aeterna, iuxta merita bonorum operum quae *sequuntur illos*. Et infra ait se vidisse animas decollatorum propter testimonium Iesu, in resurrectione prima, id est in beatitudine quae corporum resurrectionem antecedit; additque secundam mortem in his non habere potestatem (1). Per secundam autem mortem, ut ex sequentibus liquet (2), intelligit eam quam impii patientur in novissimo die, quando non iam secundum solam animam sicut prius, verum etiam secundum corpus in inferno sepelientur (3). Ex his igitur aliisque similibus testimoniis certissime ostenditur, retributionem unicuique a Deo fieri statim post mortem. Atqui retributio sine iudicio omnino non est. Oportet itaque ut sit iudicium quo singillatim iudicantur animae in termino viae, id est in ipso instanti separationis a corpore, et hoc vocamus particulare iudicium.

Accedit et traditio perpetua, ac constans de ea re Ecclesiae praedicatio. Unde Augustinus veritatem iudicii particularis ponit inter veritates illas quae nulli christianorum possunt esse vel ignotae, vel quomodocumque dubiae seu obscurae. Nam l. 2 de anima et eius origine, c. 4, reprehendens Petrum presbyterum, ut qui libros approbasset cuiusdam Vincentii Victoris sub

(1) Apocal. XX, 4-6.

(2) Ibid. 12-14.

(3) Est prima mors secundam solam animam. « Anima et mor-
« talis esse intelligitur et immortalis, inquit Gregorius Magnus 1. 4.
« Dialog. c. 45. Mortalis quippe, quia beate vivere amittit; immor-
« talis autem, quia essentialiter vivere nunquam desinit, et naturae
« suae vitam perdere non valet; nec cum in perpetua fuerit morte
« damnata. Illic enim posita, beata esse perdit, et esse non perdit.
« Qua ex re cogitur semper, ut et mortem sine morte, et defectum
« sine defectu, et finem sine fine patiatur, quatenus ei mors im-
« mortalis sit, et defectus indeficiens, et finis infinitus ». Est et secunda mors quoad utramque naturae partem, quando mortis immortalis, et defectus indeficientis, et finis infiniti socium corpus coniungitur.

eo praetextu quod inter errores quibus referti erant, nonnulla vera et scitu necessaria continerent, ostendensque nihil revera veri in iisdem reperiri, nisi quod esset lippis etiam et tonsoribus apud fideles christianos notissimum: « Illud, inquit, quod « rectissime et valde salubriter credit (ille Vincentius Victor), « iudicari animas cum de corporibus exierint, antequam ve- « niant ad illud iudicium quo eas oportet iam redditis corpori- « bus iudicari, atque in ipsa in qua hic vixerunt carne torqueri « sive gloriari: hoc itane tandem ipse nesciebas? Quis adver- « sus Evangelium tanta obstinatione mentis obsurduit, ut in « illo paupere qui post mortem ablatus est in sinum Abrahae, « et in illo divite cuius in inferno cruciatus exponitur, ista non « audiat, vel audita non credat? ».

Nec valet si dicas non bis fieri iudicium in idipsum, ac per hoc, excludendum esse omne iudicium praeter illud solemne quod in secundo adventu Christi, veniente consummatione temporum, agendum annuntiatur. Respondebit enim S. Thomas, Suppl. Q. 88, a. 1 ad 1 um: « Dicendum quod quilibet homo et « est singularis quaedam persona, et est pars totius generis « humani. Unde et duplex ei iudicium debetur. Unum singula- « lare, quod de eo fiet post mortem, quando recipiet iuxta ea « quae per corpus gessit, quamvis non totaliter, quia non quoad « corpus, sed quoad animam tantum. Aliud iudicium debet es- « se de eo secundum quod est pars totius generis humani, sicut « aliquis iudicari dicitur secundum humanam iustitiam, etiam « quando iudicium datur de communitate cuius ipse est pars. « Unde et tunc quando fiet universale iudicium totius generis « humani per universalem separationem bonorum a malis, « etiam quilibet per consequens iudicabitur. Nec tamen Deus iudi- « cabit bis in idipsum, quia non duas poenas pro uno peccato « inferet, sed poena quae ante iudicium complete inflicta non « fuerat, in ultimo iudicio complebitur, postquam impii crucia- « buntur quoad corpus et animam simul ». Sed et huic considerationi accedunt etiam aliae rationes, quae tamen cum alibi exponendae sint, pro nunc omittuntur. Unde statim de modo quo particulare iudicium peragitur, videndum est.

§ 2.

Solent doctores inquirere an iudicium ultimum per locutionem vocalem perficiendum sit, an tantum mentaliter, et in hanc posteriorem partem inclinant plerique, sive quantum ad examen et disquisitionem meritorum, sive quantum ad prolationem sententiae a iudice. Porro in suae opinionis confirmationem afferunt id quod ait Apostolus, Rom. II-15: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum.* Unde quod legitur Apocal. XX-12: *Libri aperti sunt, et iudicati sunt mortui ex his quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum*, non de libris materialibus intelligendum aiunt, sed de conscientiis singulorum. Tunc enim unicuique suus liber ex quo iudicandus sit aperietur, quatenus factorum omnium suorum conscientiam ac plenam actualemque notitiam quisque accipiet, non vocis externae significatione, sed interna manifestatione divina, de qua Augustinus l. 20 de Civ. c. 14: « Quaedam, inquit, vis est intelligenda divina, qua « fiet ut cuique opera sua vel bona vel mala, cuncta in memo- « riam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, « ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul « et omnes et singuli iudicentur; quae nimirum vis divina, li- « bri nomen accepit ». Iam, quod de libris dicitur non materialiter, sive ut ibidem loquitur Augustinus, non carnaliter cogitandis, id etiam de examine et disquisitione factorum uniuscuiusque similiter sentiendum. Imo, quod ad posteriorem iudicii partem, id est sententiam iudicis attinet, censent eam quoque non corporalem, sed spiritualem futuram, seu non sono vocis pronuntiandam, sed singulorum mentibus imprimendam virtute eius qui iudex est omnium. Ita S. Thomas in Suppl. Q. 88, a. 2, Estius in IV, D. 47, et alii.

Nunc autem quidquid de iudicio ultimo in hac parte valde rationabiliter tenetur, quamquam homo integer in eo sit compariturus, id sane in omnimodam vertitur certitudinem quoad

iudicium particulare in quo sola a corpore separata sistitur anima. Tunc igitur, in ipso egressu, in momento, in ictu oculi, aperietur conscientiae liber per actualem notitiam omnium quae gesta sunt in vita. Tunc ponetur ante mentis oculos transactum saeculum in illuminatione vultus Dei, dum scilicet divina operante virtute, summa totius meriti vel demeriti indeclinabili claritate intellectualiter apparebit. Tunc demum a Deo iudice imprimetur sententia per ingestam cognitionem praemii vel poenae merito vel demerito respondentis, eodem fere pacto quo a Deo legislatore impressa fuerat ipsa lex per synderesim et habitum primorum principiorum. Tremendum profecto instans, in quo a vanitatibus huius mundi evigilans anima, uno conspectu colliget quidquid meruit, quidquid ipsam manet in domo aeternitatis suae! Utinam locus non sit scripturae propheticae: *Appensus es in statera, et inventus es minus habens!*

Et sententia quidem summi iudicis cadit super animam quae in morte consecuta est statum immutabilem. Adverte tamen cum Caietano in tertiam partem, Q. 59, a. 5 quod aliud est animam post mortem sortiri statum immutabilem, et aliud est sortiri statum non impedibilem. « Anima enim per mortem « pervenit ad statum immutabilem de bonitate in malitiam, aut « e contra, et aut est confirmata in bono, aut obstinata in malo, « aut civis coelestis, aut inferni. Et penes hoc attenditur immu- « tabilitas status; cum qua immutabilitate stat, quod possit im- « pediri ad tempus ne ad suam civitatem perveniat. Et huius- « modi impedimenta pertinent ad purgatorium, quod non con- « stituit tertium statum animarum, neque facit mutationem « aliquam in statu animae, sed impedimentum praestat con- « summationi status illius. Et simile est ei quod invenitur in « motibus naturalibus. Leve enim ascendens sursum, si impe- « diatur in via, non propterea mutat sui motus naturam, nec « cessante impedimento, ascendendo novum acquirit princi- « pium motus, sed remoto prohibente, a primaevo immutato « principio ascensum prosequitur. Sic etiam anima immutata « secundum statum suum, soluto purgatorio tanquam remoto « prohibente, ad finem sui immobilis status in quo est confir-

10028

« mata per mortem, gratia duce pervenit ». Itaque in iudicio particulari definitiva quidem fertur sententia vel vitae vel mortis, sed quia sententia vitae esse potest cum sententia poenae temporariae, ideo, dum in eodem instanti sequitur sententiae executio, anima abducitur vel ad coelum, vel ad purgatorium, vel ad infernum. Quid autem importet abductio ista, iure meritoque iam quaeritur.

§ 3.

Dupliciter de coelo et purgatorio et inferno sermo esse potest. Primo quidem sub ratione speciali, secundum quod his nominibus importatur vel beatitudo vel poena seu temporalis seu aeterna. Alio modo sub ratione communi, secundum quod coelum et purgatorium et infernus dicunt locos quosdam corporeos animabus post mortem assignatos, prout fert constans tum Patrum tum theologorum aestimatio, a qua procul dubio non sine magna temeritate quispiam recederet. Cum autem acceptio prior futura sit obiectum trium quaestionum subsequentium, id unum in praesenti discutiendum restat: quo nimirum pacto separatae a corpore animae alicui loco corporeo deputari possint, et in locum illum quem sententia in particulari iudicio lata determinat, de facto transmittantur.

In quo quidem necesse est prae primis meminisse: « Quod « in divinis non oportet ad imaginationem deduci, et similiter « nec in incorporalibus omnibus, quia cum imaginatio sit se- « quela sensus, non potest extendi ultra quantitatem quae est « qualitatum sensibilium subiectum. Hoc autem quidam non « attendentes nec imaginationem transcendere valentes, non « potuerunt aliquid intelligere nisi per modum rei situalis, et « propter hoc quidam antiqui dixerunt quod illud quod non est « in loco, non est. Et ex simili errore quidam moderni dixerunt « quod angeli absque creatura corporali esse non possunt, in- « telligentes angelos tanquam ea quae imaginaverunt situaliter « distincta » (1). Neque in hac parte discriminatur ab angelis

(1) S. Thom. de Pot. Q. 3, a. 19

anima separata, nam et ipsa transcendit totum genus extensionis ac spatii, et secundum se nullibi est, nec habet aut habere potest quamlibet localem distantiam vel indistantiam ad quemlibet locum corporeum. Nihilominus, per quamdam ad locum habitudinem quae semper cogitanda est extra omnem ordinem situs et circumscriptionis et contactus quantitativi, in loco esse potest, *modo spiritualibus substantiis conveniente qui nobis plene manifestus esse non potest*, inquit S. Thomas Suppl. Q. 69, a. 1; imo, ut adiicere licet, modo qui adhuc obscurior nobis est quantum ad animas quam quantum ad spiritus angelicos.

Et quoad angelos quidem ea assignatur ratio coniunctionis cum loco, quae consistit in contactu virtutis: ut scilicet angelus ibi per suam essentiam esse dicatur, ubi est corpus cui suam virtutem immediate applicat, actu operando in illud; ibi vero per potentiam, ubi etsi actu non operetur, adhuc tamen ad operandum habet virtutem expeditam. Et sic intelligitur quod legitur Apocal. XX-2, de dracone ligato per annos mille et misso in abyssum, pro quanto ligata fuit eius virtus ne extra locum inferni operari valeret. Sic etiam intelligitur deprecatio daemonum qui, Luc. VIII-31, rogabant Christum *ne imperaret illis ut in abyssum irent*. Nam cum daemonibus duplex locus debeatur, unus quidem ratione suae culpae, et hic est infernus, alius autem ratione exercitationis humanae usque ad diem iudicii, et hic est caliginosus aer: magnam sibi poenam reputabant, si forte fuisset impedita eorum virtus ne exiret in actum in loco ubi hominibus nocere poterant (1). Haec igitur est, sin unica (2), at certe principalis ratio coniungibilitatis cum loco in spiritibus angelicis: contactus nimirum virtutis per operationem in corpus locatum. At de animabus separatis communiter sentiunt quod nequaquam possunt movere corpora, etiam mere localiter, quia virtus motiva animae est determinata ad illud corpus cui unitur ut forma, et nonnisi eo mediante, ad

(1) S. Thom. 1.ª Part. Q. 54. a. 4.

(2) Id. Quodl. 1, a. 4.

caetera (1). Si autem ne localiter quidem corpora movere valent, nulla in eis relinquitur activitas in materiam exteriorem, saltem quantum est ex virtute propriae naturae, et non est, opinor, imaginandum quod aliquid eis supernaturaliter a Deo conferatur in separationis statu, eo solum fine ut ad certum locum determinari queant. Quare non videtur habere magnam probabilitatem quod scribit Ferrariensis in 1. 3 c. Gent. c. 68, animas in tantum dici esse in coelo vel inferno, in quantum aliquid ibi operantur, quidquid illud sit.

Et S. Thomas quidem in prima parte, Q. 8, a. 3, triplicem modum essendi in loco assignans, per essentiam, per potentiam, et per praesentiam, de hoc tertio modo ait: « Per praesentiam « vero suam dicitur aliquid esse in omnibus quae in conspectu « ipsius sunt; sicut omnia quae sunt in aliqua domo dicuntur « esse praesentia alicui, qui tamen non est secundum substan- « tiam suam in qualibet parte domus ». Quidni igitur anima separata quae secundum se ab omni loco absolvitur, nullumque locum contactu virtutis contingere naturaliter valet, ad certum nihilominus locum definiri diceretur per certam habitudinem de genere cognitionis? pro quanto scilicet divina ordinatione determinaretur ad cognoscendum in particulari illa sola quae in eo loco sunt, quae in eo contingunt, quae eadem secum relatione ad eum referuntur, ipsum locum iam in prospectu habens velut appropriatum sibi? Forte aliquid plus dicendum est, sed de hoc quod plus est, simpliciter fatebor ignorantiam meam. Et ideo, nihil in hac parte temere vel affirmando vel negando, sed ea tantum asserendo quae ad propositum revera sufficiunt, ut ex post dicendis apparebit, dico animam statim post particulare iudicium proportionaliter adscribi loco vel paradisi vel purgatorii vel inferni, sicut nunc adscribimur loco terrestri *secundum relationes intellectualis vitae*, connaturaliter segregati a conversatione eorum qui hic non degunt, et a cognitione eorum quae hic non aguntur, et a visione

(1) Vide S. Thomam, 1.ª Parte, Q. 117, a. 4. cum commentario Caietani.

eorum quae in hoc rerum ordine et complexu non comprehenduntur. Caeterum haec nunc quasi summatim sint dicta, nam pro ampliori declaratione, ad sequentes quaestiones benevolum lectorem remitto.

QUAEST III.

DE INFERNO

Tria in praesenti principaliter quaerenda occurrunt. *Primo*, an poenae inferni sint aeternae. *Secundo*, an etsi sine fine duraturae, aliquando saltem mitigandae. *Tertio*, an dividantur in poenam damni et poenam sensus, et quatenus affirmative, sitne ignis gehennae, ignis verus et corporeus, an improprius et methaphoricus tantum. Circa primum autem sic proceditur.

THESIS II.

Articulus fidei catholicae est, poenas damnatorum in inferno esse aeternas, id est sine fine duraturas, et nec characterem christianitatis, nec fidem in finem usque retentam, nec exercita misericordiae opera quidquam valere ad eximendum eos qui cum reatu peccati mortalis de hac vita decesserint.

Haeresis negans poenarum aeternitatem magna ex parte coincidit cum ea quae superius, Thes. 1, § 2, commemorata est, et tota de Platonicorum schola descendit, qui quamvis impunita nulla vellent esse peccata, tamen omnes omnino poenas existimabant esse purgatorias, sive in hac vita sive in futura.

Et Platonici quidem sese variis muniebant rationibus ex praeposteto conceptu poenae plerumque desumptis. Inter christianos vero, erronea opinio favorem potissimum obtinuit sub colorato praetextu misericordiae. Quo fit ut eos quos l. 21 de civ. suscipit confutandos, generali nomine *misericordium* nuncupet Augustinus: « Iam, inquit, cum *misericordibus nostris* « agendum esse video, qui vel omnibus illis hominibus quos

« iustissimus iudex dignos gehennae supplicio iudicabit, vel « quibusdam eorum, nolunt credere poenam sempiternam futu- « ram, sed post certi temporis metas pro cuiusque peccati quan- « titate longioris sive brevioris, eos inde existimant liberandos». Et prius observat quod omnium misericordior videri posset Origenes, qui et ipsum diabolum atque angelos eius post gravia pro meritis et diuturniora supplicia, ex illis cruciatibus eruendos atque sociandos sanctis angelis credidit. Verumtamen, Origenis misericordia magis in superficie fuit quam in substantia. Dum enim diabolo concedebat potestatem in angelorum culmina transferri, sanctis vicissim angelis tribuebat posse in daemonum poenas decidere, et nullum finem his vicissitudinibus imponendo, faciebat sanctis veras miserias quibus aliquando poenas luerent, et falsas beatitudines in quibus securum et sine timore certum sempiterni boni gaudium nusquam haberent. Aliter itaque sentiebant misericordes illi cum quibus agebat Augustinus. Concedebant quidem, diaboli et angelorum eius esse sine fine supplicium, at non hominum; caeterum, omnium eorum qui de gehenna vel citius vel tardius liberantur, aeternam aiebant fore felicitatem. Haec iam misericordia potior. Sed si sententia ideo bona et vera quia misericors, tanto utique et melior fuisset et verior, quanto misericordior. Quidni ergo extendebatur ad damnatos angelos, saltem post multa atque prolixa quantumlibet saecula liberandos? aut quid est quod fons huius misericordiae ad universam naturam manabat humanam, et cum ad angelicam ventum esset, statim arescebat? Profecto, si in causa erat misericordia, debebant se ulterius miserando porrigere, et ad liberationem ipsius quoque diaboli pervenire (1).

At re quidem vera, non solo misericordiae affectu *misericordes illi* movebantur, et aliam profundiorem, longeque vivaciorem erroris radicem statim tangens Augustinus, addit: « Sunt etiam, quales in collocutionibus nostris ipse sum exper- « tus, *qui moribus improbandi sunt, et agendo causam suam...*,

(1) August. l. 21 de civ. c. 17.

« dicunt de malis et infidelibus hominibus divinitus quidem ve-
« rum praedictum esse, quod digni sunt poena, sed cum ad iu-
« dicium ventum fuerit, misericordiam esse superaturam....
« Humana quippe circa solos homines moventur misericordia,
« *et causam maxime agunt suam, per generalem in genus hu-*
« *manum quasi Dei miserationem, impunitatem falsam suis*
« *perditis moribus pollicentes* ». Proinde cum de sua ipsorum causa essent solliciti, non adeo tenaces se ostendebant generalis principii liberationis hominum universorum. Sed erant alii qui liberationem promittebant « tantummodo Christi baptisma-
« te ablutis qui participes fiunt corporis eius, quomodolibet
« vixerint, et in quacumque impietate fuerint » (1). Alii, qui hoc nec omnibus habentibus baptismum Christi et eius corporis sacramentum, « sed solis catholicis, quamvis male viventibus
« pollicebantur » (2). Alii, qui hoc nec omnibus catholicis, sed iis solis qui pro peccatis suis facere dignas eleemosynas non negligunt, vel qui iniurias fratribus ignoscendo dimittunt:
« Putant, eis qui perdite vixerint donec claudant diem vitae
« huius extremum, qualiacumque et quantacumque fuerint, om-
« nia peccata dimitti, si hoc tantummodo custodire meminerint,
« ut quando ab eis veniam petunt qui eos peccato qualitercum-
« que laeserunt, ex corde dimittant » (3). Ergo a primo ad ultimum, facile tandem concedebatur malos omnes arsuros illius aeternitate supplicii, modo semper exciperetur ea hominum malorum categoria, ad quam pro suo quisque studio vel conditione se videbat adscribendum. Et sic etiam est, saltem quod attinet ad formalitatem principii, usque in praesentem diem. Plerique enim perdite viventes, et a mala sua vita retrocedere minime intendentes, molestam aeternae damnationis comminationem removere volunt. Ideo, vel evangelii fidem simpliciter respuunt, vel in evangelio quaerunt unde sibi et aliis fucum faciant, per ea media quae ars critica suis electis cultoribus abundanter ac copiose iam nunc suppeditat.

(1) August. ibid. c. 19.
(2) Ibid. c. 20.
(3) Ibid. c. 22.

Sed contra hos omnes est aperta totius Ecclesiae per orbem dispersae praedicatio. Cui accedunt quoque, tum solemnes oecumenicorum conciliorum definitiones, tum expressus symboli fidei articulus. Nam in decreto Concilii Florentini sic habetur: *Diffinimus insuper... illorum animas qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* Tum de poenis eorum qui cum actuali seu personali mortali peccato decedunt, in Concilio Lateranensi IV cap. *Firmiter*, specialiter sic statuitur: Firmiter credimus et simpliciter confitemur quod... *omnes* (tam reprobi quam electi) *cum suis propriis resurgent corporibus quae nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala, illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam.* Accedit et expressus symboli fidei articulus: *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum. Haec est fides catholica quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

§ 1.

Quod poenarum aeternitas dogma est in Sacris Scripturis perspicue et evidenter propositum.

In primis perspicue et evidenter proponitur in evangelio, Matth. XXV-41, ubi iudex reprobis dicturus praedicitur: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis eius.* Quod ne de igne tantum, non autem de supplicio quis acciperet, postea subiecit Dominus: *Et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον, οἱ δὲ δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. Quapropter nihil nobis ulterius declarandum relictum fuit nisi potestas vocis αἰώνιον, quam Vulgata reddit *aeternum*, et catholica Ecclesia semper intellexit, ut quae durationem importet plane interminabilem et omni fine carentem. Porro ad huius rei eviden-

tiam, de significatione vocabuli αἰών, a quo αἰώνιος derivatur, per prius quaerendum est (1).

Αἰών in evangelio dupliciter accipitur. Primo pro saeculo praesenti, cuius consummatio et finis annuntiatur in glorioso adventu Christi (ὁ αἰών οὗτος: Matth. XII-32; XIII-22, 39, 49; XXIV-3; XXVIII-20. Luc. XVI-18; XX-34). Secundo pro saeculo futuro, quod etsi habeat initium, nullum tamen habiturum est finem (ὁ αἰών ὁ ἐρχομένος: Matth. XII-32. Marc. X-30. Luc. XVIII-30; XX-35). Insuper, αἰών consideratur vel a parte ante, vel a parte post. Si a parte ante, dicit totam durationem quae praecessit a constitutione mundi, velut Luc. 1-70: *Qui a saeculo sunt,* ἀπ' αἰῶνος, *prophetarum eius;* et Ioan. IX-32: *A saeculo,* ἐκ τοῦ αἰῶνος, *non est auditum quia quis aperuit oculos caeci nati.* Si autem a parte post, tunc significat, vel totam durationem quae usque ad huius mundi finem extenditur, vel durationem aeternam, id est absolute interminatam atque interminabilem, prout sermo est vel de praesenti saeculo, vel de venturo. Exemplum prioris significationis est, Ioan. XIV-16: *Et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeter-*

(1) « Αἰών non simplici notione gaudet, nam modo finitum « tempus, modo indefinitum, modo infinitum sonat. Aristoteles in « primo de Coelo factam putat vocem αἰών ab ἀεὶ ὤν, quo aeter- « nitatis notio continetur. Hanc originationem deinde usurparunt « Plotinus, Proclus, et alii. At eo tamen vocabulo utrumque tem- « pus exprimi fatetur ididem Aristoteles. Ab αἰών prodiit latinum « *aevum.* Aevum igitur, ut αἰών, multiplicem habet vim, modo « tempus fine careus, modo terminatum designans. Saepe pro aetate « adhibetur; unde *longaevus*, *grandaevus*, *coaevus.* Ab aevo *aevitas*, « et per contractionem *aetas*, cuius idem est intellectus ac aevi, « nam modo tempus aeternum, modo circumscriptum sonat. Ab « aevo itidem *aeviternus* et per syncopen *aeternus*, qua voce tem- « pus etiam finitum aliquando exprimitur. Errant multi, qui ab « *aeternus* factum putant *sempiternus.* Repugnat modulus syllabae « secundae quae corripitur. *Sempiternus* fit a *semper*, ut ab *heri*, « *hesternus*, a *diu*, *diurnus*, auctore Prisciano ». Huetius, Origenian. l. 2, c. 2, Q. 11, n. 26. — Quidquid vero sit de his etymologiis, patet evidenter quod non ex sola materiali acceptione vocum quidquam certi ac definiti erui potest, sed videndum quomodo in evangelio, et generatim apud auctores N. T. accipiatur primo terminus αἰών, tum qui ab eo derivatur, αἰώνιος.

num. εἰς τὸν αἰῶνα. Ubi promittit Dominus Spiritum Sanctum apostolis et successoribus eorum in ordine ad magisterium veritatis; quod quidem magisterium cum non sit nisi in praesenti tempore exercendum, constat quod εἰς τὸν αἰῶνα idem nunc valet ac ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος apud Matthaeum. Exemplum vero posterioris significationis est in his et similibus: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet* εἰς τὸν αἰῶνα, Ioan. IV-13. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet* εἰς τὸν αἰῶνα, ibid. VI-52. *Ego vitam aeternam do eis, et non peribunt* εἰς τόν αἰῶνα, *et non rapiet eas quisquam de manu mea*, ibid. X-28, etc. etc. Hactenus de nomine substantivo αἰών, in quo constat semper importari quiddam interminatum, sin minus absolute, at saltem respective, id est intra proprium ordinem propriamque lineam uniuscuiusque aevi.

Nunc ergo de adiectivo αἰώνιος, proportionaliter dicendum est. Semel usurpatum invenitur pro duratione increata seu divina, quae tam initio quam fine caret: *Secundum praeceptum aeterni Dei*, τοῦ αἰωνίου Θεοῦ, inquit apostolus, Rom. XVI-26. Alibi accipitur pro duratione creata, sed semper interminata, eo nimirum interminationis modo quem creatae durationis conditio fert. Nam creata duratio aliter habetur pro interminata a parte ante, et aliter a parte post. A parte ante, si nulla anteriori duratione praecedatur, sed ab exordio omnium omnino temporum currat. A parte post, si nullam subsequentem durationem patiatur aut pati possit, sed sine meta seu limite in sempiternum extendatur. Priori igitur modo (a parte ante) sumitur nomen adiectivum αἰώνιος in tribus locis N. T. Primus est Rom. XVI-25: *Secundum revelationem mysterii temporibus aeternis taciti*, χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου, id est, in omnibus retro temporibus absconditi, et nunc primum patefacti. Duo alii sunt, 2 Tim. I-9, et Tit. I-2: *Ante tempora saecularia* (aeterna), πρὸ χρόνων αἰωνίων, id est ante omnia saecula, seu ante initium totius durationis. At altero modo (a parte post), accipitur in aliis locis omnibus, ubi constanter importat permanentiam illam absolute interminabilem quae futuri aevi propria est, et

semper intelligitur in oppositione ad ea quae dicuntur βιωτικά 1), κοσμικά 2), πρόσκαιρα (3), sive temporalia. *Non contemplantibus nobis quae videntur*, inquit apostolus 2 Cor. IV-18, *sed quae non videntur. Quae enim videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna.* Τὰ γὰρ βλεπόμενα πρόσκαιρά ἐστιν, τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια. Hinc vita aeterna, ζωὴ αἰώνιος, quae singulis fere evangelii paginis, ut proprium novi et aeterni testamenti praemium annuntiatur. Hinc aeterna tabernacula, αἰώνιοι σκῆναι, in qua recipient nos amici facti de mammona iniquitatis. Hinc aeternum regnum Domini nostri et Salvatoris I. C. αἰωνιος βασιλεία, in quod nobis 2 Petr. I-11 ministratur introitus, quodque Luc. I-33 expresse dicitur fore sine fine. Hinc quoque τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, hinc κόλασις αἰώνιος, ignis aeternus, supplicium aeternum, quod plane necesse est tanquam omni termino et fine cariturum accipere.

Et confirmatur evidenter quia eadem sententia, eodem verbo, eodem demum tenore, impiis denuntiatur supplicium aeternum, quo iustis vita aeterna. Sed quis unquam vel verosimiliter imaginari potuit quod vita aeterna iustis in evangelio repromissa aliquando esset finem habitura? Recte ergo Augustinus, contra Origenistas, n. 7: « Quisquis, inquit, prudenter ad-
« vertit quod dictum est: *ite in ignem aeternum*, illud esse di-
« ctum quod non habet finem, a contrario probat eo ipso loco
« evangelico de vita aeterna quam iusti accepturi sunt; non e-
« nim et ipsa habet finem. Ita enim conclusit: *Ibunt illi in am-*
« *bustionem aeternam, iusti autem in vitam aeternam.* In utro-
« que Graecus αἰώνιον habet. Si misericordia nos provocat cre-
« dere, non futurum impiorum sine fine supplicium, quid de
« praemio iustorum crediturі sumus cum in utraque parte, eo-
« dem loco, eadem sententia, eodem verbo pronuntietur aeter-
« nitas? An iterum etiam iustos ex illa sanctificatione et vita
« aeterna in peccatorum immunditiam atque in mortem relap-

(1) 1 Cor. VI-3.
(2) Tit. II-12.
(3) 2 Cor. IV 18, Heb. XI-30, etc.

« suros esse dicemus? Absit hoc a christianae fidei sanitate. U-
« trumque igitur sine fine dictum est aeternum, hoc est, αἰώνιον,
« ne cum diaboli poenas dolemus, de regno Christi dubitemus ».

Sed si supplicium aeternum pro supplicio interminabili accipere repugnas, effugia quaerens quibus evangelicam auctoritatem tuis praeiudiciis utcumque accommodes, quale tandem effugium tibi relinquetur in eo quod legitur apud Marcum IX-42? *Et si scandalizaverit te manus tua abscide illam; bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum; bonum est tibi claudum introire in vitam aeternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. Quod si oculus tuus scandalizat te, eiice eum; bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Sane vero, quaecumque demum poena significata sit nomine vermis atque ignis, si non morietur nec extinguetur, sine fine praedicta est. Et quasi non suffecisset dixisse semel, ter repetitum est; imo vero, singulis quoque vicibus ter replicata sunt ea quae ad interminabilitatem spectant: ignis inextinguibilis, ignis qui non extinguitur, vermis qui non moritur. « Non eum piguit, ait Augustinus l. 21 de civ.
« c. 9, uno loco eadem verba ter dicere: quem non terreat ista
« repetitio, et illius poenae comminatio tam vehemens ore di-
« vino? ».

Sed et idem dogma inculcatur Matth. III-12: *Permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Idem, 2 Thess. 1-8: *In flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, et qui non obediunt evangelio D. N. I. C. Qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini, cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Idem, Apocal. XIV-11: *Et fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum.* Et infra, XX-9 et seq., ubi sermo est de

stagno ignis in quo *bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum*, et deinde additur quod in hoc stagnum mittetur omnis qui, iudicio facto, non inventus fuerit in libro vitae scriptus.

Idem quoque apud Danielem, XII-2: *Et multi de his qui dormiunt in terrae pulvere evigilabunt* (1), *alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium ut videant semper* (2). *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* Idem demum apud Isaiam, tum in fine totius prophetiae unde desumpta sunt ea quae de immortali verme et inextinguibili igne a Christo supra relata sunt, tum etiam XXXIII-14, ubi ad hypocritas dicitur: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Ubi vides duo testamenta in eamdem plane collineare sententiam, et tremendam veritatem iis denuntiare terminis, qui nulli glossae, interpretationi, vel emollitioni relinquunt locum.

§ 2.

Quod dogma aeternitatis poenarum semper fuit in aperta et explicita Ecclesiae praedicatione.

Augustinus l. de haeresibus c. 43, Origenistarum errorem referens ait: « Sunt huius Origenis alia dogmata quae catho-« lica Ecclesia omnino non recipit...., maxime de purgatione et « liberatione... Quis enim catholicus christianus vel doctus vel « indoctus non vehementer exhorreat eam quam dicit purga-« tionem malorum, id est, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis

(1) Multi, inquit, id est mortui qui multi sunt ; omnes enim resurgent. Sic Apostolus Rom. V, multos dicit pro omnibus, et vice versa: *Per unum hominem peccatores constituti sunt multi.* Et paulo post: *In quo omnes peccaverunt.*

(2) Quidam, ubi nos legimus: *ut videant semper*, legunt: *ut vileant semper*, id est, ut in perpetua vilitate et contemptu sint. Sensus tamen non variatur, quia qui resurgunt in opprobrium ut videant semper, ad hoc resurgunt ut sui opprobrii oculati testes in sempiternum exsistant.

« et facinoribus et sacrilegiis atque impietatibus quamlibet « maximis finierunt...., purgatos atque liberatos regno Dei lu- « cique restitui?.... De qua vanissima impietate adversus phi- « losophos a quibus ista didicit Origenes, in libris de civitate « Dei diligentissime disputavi ». (1). Nunc autem quam recte prava haec opinio inter haereses ab Augustino recenseatur, manifeste apparebit percurrenti monumenta praedicationis ecclesiasticae inde ab intio. Ex quibus selecta quaedam testimonia, quantum instituti nostri brevitas patitur, iam accipe.

Irenaeus l. 2 c. haeres. c. 28, n. 6: « Quoniam quidem transgressoribus ignis aeternus praeparatus est, et Dominus « manifeste dixit, et reliquae demonstrant Scripturae ». Et l. 3, c. 13, n. 3: « Omnis maledictio decurrit in serpentem qui « seduxerat eos (protoparentes...). Hoc idem autem et Domi- « nus in evangelio his qui a sinistris inveniuntur, ait: *Abite, « maledicti, in ignem aeternum quem praeparavit Pater meus « diabolo et angelis eius*, significans quoniam non homini prin- « cipaliter praeparatus est aeternus ignis, sed ei qui seduxit... « quem quidem (ignem) juste percipient etiam hi qui simili- « ter ut illi (angeli apostatae), sine poenitentia et sine regressu « in malitiae perseverant operibus ».

Tertullianus in Apologetico c. 45, ostendens innocentiam vitae apud christianos, non ex timore hominis, sed ex reverentia Dei provenire: « Enimvero, inquit, nos qui sub Deo « omnium speculatore dispungimur, quique aeternam ab eo « poenam providemus, merito soli innocentiae occurrimus, et « pro magnitudine cruciatus, non diuturni, verum sempiterni, « eum timentes quem timere debebit et ipse qui timentes iu- « dicat, Deum, non proconsulem timentes ».

Cyprianus de laude martyrii c. 8 declarat qua ratione non sit corporum nostrorum casus pertimescendus, aut de interimenda carne admittendus dolor: « Quid enim tibi cum hac « luce, cui lux aeterna promissa est? Quid cum hoc vitae na- « turaeque commercio, quem coeli amplitudo deposcit? Sane

(1) Ubi supra, l. 21 per totum.

« teneat cupiditas vivendi, sed quos inexpiabili malo saeviens « ignis aeterna scelerum ultione torquebit. Teneat cupiditas « ista vivendi, sed quibus et mori poena est, et durare (post « mortem) tormentum ». Et 1. de mortalitate c. 14: « Mori ti- « meat... qui ad secundam mortem de hac morte transibit. Mori « timeat, quem de saeculo recedentem perennibus poenis aeter- « na flamma torquebit ». Et l. ad Demetrium c. 24: « Quae « tunc erit fidei gloria, quae poena perfidiae, cum iudicii dies « venerit?... Cremabit addictos ardens semper gehenna, et vi- « vacibus flammis vorax poena, nec erit unde habere tormenta « vel requiem possint aliquando vel finem. Servabuntur cum « corporibus suis animae infinitis cruciatibus ad dolorem... In « aeternam poenam sero credent, qui in vitam aeternam cre- « dere noluerunt ».

Arnobius l. 2 apologiae adversus Gentes c. 14, his paganos increpat verbis: « Audetis ridere nos (christianos), « cum gehennas dicimus, et inexstinguibiles quosdam ignes, in « quos animas deiici ab earum hostibus inimicisque cognovi- « mus? Plato idem vester in eo volumine quod de animae im- « mortalitate composuit, non Acherontem, non Stygem, non « Cocytum fluvios nominat, in quibus animas asseverat volvi « mergi, exuri? ».

Hilarius in Matth. c. 5, n. 12: « Igitur requies nulla « gentibus (id est pagano more vita functis), neque mortis, ut « volunt, compendio quies dabitur, sed (in resurrectione) cor- « poralis et ipsis aeternitas destinabitur, ut ignis aeterni in « ipsis sit aeterna materies, et in universis sempiternis exercea- « tur ultio sempiterna. Si igitur gentibus idcirco tantum indul- « getur aeternitas corporalis, ut mox igni iudicii destinentur, « quam profanum est, sanctos de gloria aeternitatis ambigere, « cum iniquis aeternitatis opus praestetur ad poenam ».

Pacianus in Paraenesi ad poenitentiam c. 11-12: « Timete « igitur, dilectissimi, iusta iudicia, properat iam tempus extre- « mum..... Post animarum tempestiva supplicia, redivivis quo- « que perpetua corporibus poena servatur. Nemo Tityi iecur « credat, et Vulturem poetarum. Ipse sibi materiam recrescen-

« tium corporum reparat ignis aeternus... Mementote, fratres, « quia apud inferos exomologesis non est... Saeculares ecce « ignes timemus, et carnificum ungulas expavescimus, compa- « rate cum his aeternas torquentium manus, apicesque flam- « marum nulla aetate morientium ».

Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 13 n. 38: « Si crucem « negaveris, manebit te ignis aeternus. Dura dico ne tu dura « experiare ». Et catech. 15, n. 26: « Tremendum vere iudi- « cium est, et propter ea quae denuntiantur secutura, verus ti- « mori locus. Regnum coelorum proponitur, et ignis aeternus « praeparatus est ». Et catech. 18, n. 19: « Resurgemus igitur, « aeterna quidem omnes, non omnes vero similia habentes cor- « pora. Verum si quis iustus est, coeleste corpus accipiet, ut « possit cum angelis digne una versari. Si quis autem pecca- « tor est, corpus accipiet aeternum, perpetiendae poenae ca- « pax, ut in igne aeternum combustus nunquam absumatur ».

Basilius, Regul. brevior. c. 267: « Cum igitur Deus pro- « nuntiet hos in supplicium aeternum ituros..., hoc quoque u- « num est ex artificiis diaboli, ut plerique homines velut obliti « tot et talium Domini verborum, quo maiore cum audacia « peccent, supplicii sibi finem praescribant. Etenim si aeterni « supplicii futurus est aliquando finis, finem utique habitura « est etiam vita aeterna. Quod si non possumus illud de vita « aeterna intelligere, qua ratione supplicio aeterno adscribitur « finis?... Quamobrem illud, *multis* et *paucis vapulare* (Luc. « XII-47), iterum dico, nequaquam porrigi aut compleri ac fi- « niri tempus, sed supplicium diversum esse significat ». Et homil. in Psalm. 28, n. 8: « Ad aliquod peccatum impelli cum « te videris, horrendum illud et intolerabile Christi tribunal, « quaeso, cogita..., postremo supplicium omnium gravissimum, « probrum illud et dedecus sempiternum. Haec time, et hoc « timore eruditus, quasi freno quodam a pravis concupiscen- « tiis tuam cohibe animam ».

Ambrosius in Psalm. 118, Serm. 21, n. 8, sanctum esse docet timorem poenarum aeternarum, et in ipsis martyribus quoddam principium invictae constantiae: « Pone, ergo, inquit,

« martyrem inter pericula constitutum... Pone, inquam, cir-
« cumspectantem omnia plena supplicii, deinde cogitantem
« mandata divina, illum ignem perpetuum, illud sine fine in-
« cendium perfidorum, illam poenae recrudescentis aerumnam;
« trepidare corde, ne dum praesentibus cedit, perpetuis se de-
« dat exitiis; perturbari animo, dum futuri iudicii rhom-
« phaeam illam terribilem quam conspectus sui acie contuetur.
« Nonne hanc trepidationem fiduciae viri constantis aequabis?
« In eumdem concurrit effectum confidentia cupientis aeterna,
« et divina trepidantis » (1).

Nazianzenus Orat. 40, n. 36, duplicem ignem distinguit, unum mysticum ad quem mittendum Christus in terram venit, alterum de quo subiungit: « Est alter ignis non purgans,
« sed scelerum vindex: sive Sodomiticus ille, quem sulphure
« et procella permixtum Deus in peccatores omnes fundit, sive
« ille qui diabolo eiusque angelis paratus est, sive etiam ille qui
« ante faciem Domini procedit, et in circuitu inimicos eius in-
« flammat, sive denique ille omnibus his formidabilior, qui cum

(1) Immerito Petavius l. 3 de angelis, c. 7, n. 12, et post eum Huetius in Origenianis, Ambrosium traducunt tanquam in Origenis dogma propendentem, propter ea quae leguntur in sermone praecedenti (Serm. 20 in Psalm. 118, n. 23), *de divite evangelico qui licet peccator, poenalibus urgetur aerumnis, ut citius possit evadere.* Id nimirum accipiunt velut dictum de divite epulone, qui Luc. XVI, sepultus est in inferno. Sed hoc plane voluntarium est, praesertim cum de hoc epulone signanter dicat Ambrosius in Luc. l. 8, n. 18: « Inter hunc igitur divitem et pauperem (Lazarum) chaos magnum est quia post mortem nequeunt merita mutari ». Itaque dives ille qui in evangelio secundum Ambrosium, poenalibus urgetur aerumnis ut possit citius a poenis absolvi, ipse est de quo in alio loco Luc. XII-16: *Hominis cuiusdam diritis uberes fructus ager attulit. Et cogitabat intra se dicens: Quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos?... Et dicam animae meae: Anima, habes bona posita in dies plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: stulte, hac nocte animam tuam repetent a te.* Et haec est medicinalis aerumna qua urgetur homo adhuc in via constitutus, non qua liberatur homo in peccato iam defunctus. Haec amara cogitatio divinitus immissa, qua turbatur in sua securitate ille qui mundo fruebatur, ut possit poenas aeternas evadere, et purgatorias citius transilire.

« insomni illo verme coniunctus est, nec unquam exstinguitur, « verum in sceleratorum hominum poenam perennis est et sem- « piternus. Hi enim omnes eam vim habent, ut perdant ac de- « leant, nisi tamen hoc quoque loco quispiam ignem mitiorem, « et ut puniente dignum est, malit intelligere » (1).

Chrysostomus, Paraenes. ad Theodorum lapsum, l. 2, n. 3: « Hunc (iudicem) semper cogita, necnon fluvium illum « igneum... Qui enim semel igni traditus ab illo fuerit, nullum « potest supplicii sperare finem. Et absurdae quidem vitae volu- « ptates nihil ab umbris et somniis differunt. Priusquam enim « peccata ad finem deducantur, delectatio voluptatis exstin- « guitur; supplicia vero iis destinata nullum habent terminum. « Suavitas illa brevissima, cruciatus aeternus ». Et homil. 25 ad Rom. n. 5: « Quod finem non habitura sint, audi illum di- « centem: *Vermis eorum non morietur, et ignis non extingue-*

(1) Rursus glossatur Petavius super haec verba Nazianzeni, dicens: « Manifestum est, hoc in loco Gregorium Nazianzenum de « damnatorum hominum poenis dubitasse, utrum sempiternae futu- « rae sint, an ex Dei benignitate potius aestimandae, uti scilicet « aliquando terminentur ». At quo iure manifestum hoc asserat Petavius, aestimet prudens lector. Non enim mitior ignis τοῦτο φιλανθρωπότερον, de quo in ultimo inciso, idem est cum ignibus quorum praecessit enumeratio, πάντα ταῦτα ἀφανιστικῆς δυνάμεως, ut ipsa constructio grammaticalis luculenter ostendit. Sed cum igni mystico quem Christus venit mittere in terram, opposuisset Gregorius ignes scelerum vindices qui eam vim habent ut perdant ac deleant, his demum accensere permittit ignem quoque mitiorem, « qui videlicet « non perdat ac deleat, ut Sodomiticus, et qui reprobis destinatus « est, sed qui malos in tempore ulciscatur, et a peccatis emundet, « de quo Augustinus: Hic ure, hic seca, modo in aeternum parcas ». Ita rectissime annotator editionis Benedictinae, apud Migne, P. G. Tom. 36, col. 412. — Adhuc magis a vero abludit Petavius, cum carpit ea quae leguntur Orat. 39, n. 19, ubi Gregorius redarguens Novatianos qui laboriosum poenitentiae baptismum negabant, sic concludit: « In altero aevo igne fortasse baptizabuntur, qui postremus « est baptismus, nec solum acerbior, sed et diuturnior, etc. » Quasi diceret: Nolunt nunc ullum admittere baptismum post baptismum aquae. At fortasse (quod eis maxime optandum est propter eam quam supponit conversionis gratiam saltem in extremis), experimento suo discent esse extremum baptismum purgatorii, eumdemque duriorem et diuturniorem, *qui crassam materiam instar feni depascitur, et omnis vilii levitatem absumit.*

« *tur*, et: *Ibunt hi in vitam aeternam, et isti in supplicium ae-*
« *ternum*. Si ergo vita aeterna est, supplicium est aeternum ».
Et hom. 23 in 1 Cor. n. 4: « Sicut enim huius vitae poenae si-
« mul cum vita solvuntur, sic illic poenae aeternae erunt... Co-
« gitantes igitur benignitatis eius magnitudinem, hic illum no-
« bis propitium reddamus, et praeoccupemus faciem eius in
« confessione, ut ne hinc abeuntes sine defensione extremum
« subeamus iudicium ». Et supra, idem dogma ex professo ex-
ponit, hom. 9 per totam.

Hieronymus in Matth. XXV-46: « Prudens lector, attende
« quod et supplicia aeterna sint, et vita perpetua metum dein-
« ceps non habeat ruinarum ». Et ibid. X-28: « Futura ergo
« supplicia et poenae perpetuae, quibus peccatores cruciandi
« sunt, huius loci vocabulo (gehenna) denotantur ». Et in Isai.
cap. ult.: « Et sicut diaboli et omnium negatorum atque im-
« piorum qui dixerunt in corde suo: *Non est Deus*, credimus
« aeterna tormenta, sic peccatorum atque impiorum et tamen
« christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque
« purganda, moderatam arbitramur et mixtam clementiae sen-
« tentiam iudicis » (1).

Cyrillus Alexandrinus in Isai. l. 5, tom. 5: « Sunt qui vo-
« lunt verba haec ad tempus consummationis saeculi referre,
« quando praevaricantium veluti membra proiicientur, qui re-
« legati sunt ad supplicium et flammam sempiternam. Illic enim
« vermis supplicio afflictorum vivet perpetuo, et ignis non ex-
« tinguetur. Nos autem omnibus his liberabit Christus, per
« quem et cum quo sit gloria Deo et Patri... in omnem saeculo-
« rum perpetuitatem ».

(1) De sententia Hieronymi circa poenarum aeternitatem pro diabolo et impiis qui dixerunt in corde suo, non est Deus, nemo sanae mentis, quod sciam, unquam dubitavit. Porro omnia loca Hieronymiana quae in contrarium afferri solent, sive ex commentariis super Isaiam l. c., sive ex commentariis super Ezechielem c. 26, sive ex 1 dialogo c. Pelagianos n. 23, aliam spectant quaestionem, in § 3 huius thesis mox tractandam: utrum scilicet omnibus omnino qui in quocumque mortali peccato decesserint, aeternae illae poenae reserventur.

Vides ergo quanta sit testium traditionis unanimitas, nec necessarium existimo, Patrum praesertim recentiorum citationes longius protrahere. Fidenter enim dico, unum esse Gregorium Nyssenum, in cuius scriptis (1) Origeniani erroris naevi aspersi reperiuntur. Haec porro scripta ab haereticis interpolata antiqui tradiderunt. Ait Nicephorus Callistus l. 11 hist. eccles. c. 19: « Habuit autem Basilius fratres quorum unus « Gregorius fuit, Ecclesiae Nyssenae lux et ornamentum... Se- « cundus Basilii frater Petrus fuit... Accessit ad hos celebris « illa Macrina soror, cui Gregorius libellum de anima dicavit. « Ei, sicut accepi, haeretici quidam Origenica dogmata iniece- « runt » (2). Sed et Photius in bibliotheca c. 233, testatur se legisse librum scriptum a S. Germano Constantinopolitano de vera et legitima retributione quae rependitur hominibus prout vixerint. Quo in libro Germanus contendit scripta Gregorii Nyssae episcopi ab Origenis errore esse immunia: « Contra « quos (origenistas) Germanus pietatis patronus acutum veri- « tatis gladium stringens, victorem superioremque eum con- « stituit, in quem haeretica colluvies insidias strinxerat et po- « suerat... Libri autem quos insidiis excipere haeretici moliti « sunt, et quos Germanus veritatis propugnator primarius, ab « latronum insultu sine noxa servavit, sunt dialogus ad Ma- « crinam sororem de anima, et liber catecheticus, et is qui de « perfecta vita narrationem continet ». Hucusque Photius his verbis innuens, quosnam Nysseni libros prae caeteris interpolando in rem suam trahere conati sint haeretici, eisque eripere sua defensione quae nunc amplius non extat, contendit Germanus (3). Utut vero sit, vel sola interpolationis persuasio apud catholicos obtinens, satis superque ostendit quam indubie sententia poenarum aeternarum veritatem negans, semper habita fuerit ut catholicae fidei contraria, et inter haereses quae in confesso sunt apud omnes plane annumerata.

(1) Scripta ista sunt tria: Oratio catechetica, dialogus ad Macrinam, et de perfecta vita liber.
(2) Migne, P. Gr. Tom. 98, col. 34.
(3) Migne, P. Gr. Tom. 146, col. 627.

§ 2.

Quod poena aeterna eos omnes sine exceptione manet, qui ex hac vita cum mortalis peccati reatu decedunt.

Id ostenditur primo ex supra relato testimonio Marci IX-42, (apud Matthaeum, XVIII-8), ubi Dominus a scandalis mundi cavere nos iubens: Si, inquit, ita est quis tibi coniunctus ut manus, pes, vel oculus, scandalum autem tibi fuerit, id est causa vel occasio peccati, rumpe consuetudinem istam, etiamsi ex ea ruptura parem dolorem sentire debeas, ac si erueretur tibi oculus vel abscinderetur manus. Et ratio statim redditur, quia longe melius est hunc dolorem sustinere, quam ire in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. At quaenam esset, quaeso, consequentiae ratio, si non omne mortale peccatum, cuius causa vel occasio truncari hic praecipitur, hominem faceret addictum gehennae ignis perpetui?

Consideranda quoque est eadem sententia in alia circumstantia a Christo edicta, Matth. V-27: *Audistis quia dictum est antiquis: Non moechaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proiice abs te; expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam; et si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam et proiice abs te; expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.* Quo in loco docet Dominus, non solum externum adulterii vel fornicationis actum esse prohibitum, verum etiam affectum et internum desiderium. Tum desumpta similitudine ex arte chirurgorum, qui si videant per unum membrum periclitari totum corpus, ut corpus conservent, membrum exscindunt: necesse esse ait resecare omnes affectus vitii carnalis, quantumvis intimos, quantumvis in corde penitus reconditos, ut non totus homo mittatur in gehennam. Atqui si in ge-

hennam mittitur homo propter peccata opere etiam non consummata, etiam ex incentivo passionis commissa, (quae conditio est diminuens peccati gravitatem), quanto magis propter alia graviora? Sequitur ergo, eos omnes in infernum revera descendere, qui cum reatu cuiusvis mortalis peccati praesentem vitam finiunt, post quam, uti iam in superioribus ostensum est, nullus est locus poenitentiae et remissioni culpae.

Hinc Apostolus, I Cor. VI-9: *Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Ergo rursus, quisquis elapso tempore viae, reus invenitur alicuius e supradictis sceleribus, ita ut fornicarius, adulter, fur, rapax, maledicus, etc., vere nominetur et sit, iste absolute et in perpetuum a regno Dei in futura beatitudine manet exclusus. Sed idem est, excludi a regno Dei, et poenis addici aeternis, iuxta illud: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Ergo a primo ad ultimum, omnem hominem in mortali peccato decedentem poena manet aeterna. Quam quidem conclusionem eruit Augustinus ex alio quoque loco Apostoli Galat. V-19: « Sed iam respondeamus, inquit (1), etiam « illis qui non solum diabolo et angelis eius, sed ne ipsis qui- « dem omnibus hominibus liberationem ab aeterno igne pro- « mittunt, verum eis tantum qui Christi baptismate abluti, et « corporis eius et sanguinis participes facti sunt, quomodolibet « vixerint, in quacumque haeresi vel impietate fuerint. Sed « contradicit eis Apostolus dicens: *Manifesta sunt autem opera « carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxu- « ria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, ae- « mulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae, invidiae, homi- « cidia, ebrietates, comessationes, et his similia; quae praedico « vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei « non consequentur.* Haec profecto apostolica falsa est senten- « tia, si tales post quantalibet tempora liberati regnum Dei

(1) Augustin. l. 21 de civit. c. 25.

« possidebunt. Sed quoniam falsa non est; profecto regnum « Dei non possidebunt. Et si in regni Dei possessione nunquam « erunt, aeterno supplicio tenebuntur, quoniam non est locus « medius, ubi non sit in supplicio, qui illo non fuerit constitu- « tus in regno ».

Nec contra praedicta esse potest quod legitur Matth. XXV-41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum. Esurivi enim et non dedistis mihi manducare, etc.*, quasi pro solis omissis misericordiae operibus, aliqui puniantur aeternaliter. Re enim vera minime id sequitur, sicut non sequitur iustos pro solis illis operibus esse aeternaliter praemiandos. Et recte notavit Maldonatus, Christum unam operum speciem pro toto genere posuisse, quemadmodum in exemplis facere consuevimus, ut inculcaret se neminem temere aut salvaturum esse aut damnaturum, sed solum ex causa iustissima, eaque publice et coram hominibus declarata, sicut in forensibus sententiis fieri solet. Ideo autem hanc potius quam aliam operum speciem proposuit, quia magis idonea videbatur, quae humano modo ostenderet rectitudinem iudicii et sententiae aequitatem. Iustum quippe est, etiam in oculis hominum, ut qui susceperint Christum quando erat pauper et infirmus et nudus, adveniente postea die gloriae eius, ab eo assumantur. Iustum quoque ut qui despexerint eum in diebus malis paupertatis et humiliationis, deinde in regeneratione cum sederit in sede maiestatis suae, a beatitudinis consortio excludantur. Tale ergo exemplum positum est, in quo luculentius appareret secundum regulas quoque humani iudicii, perfecta proportionalitas sive praemii sive poenae cum operibus sive meritoriis sive demeritoriis. Caeterum, in una specie totum genus subintelligitur. Non ergo pro sola omissione operum misericordiae condemnatur homo ad gehennam, nec pro sola positione eorumdem liberatur ab ea. Cum enim illi salvandi dicuntur qui Christum esurientem cibaverint, nudum vestierint, in carcere detentum visitaverint, sermo est de iis qui vere *Christo* in persona pauperum famulati fuerint. Huiusmodi autem famulatus nequaquam esse po-

test cum perseverante voluntate faciendi ea quae prohibet et graviter reprobat lex Christi. « Ideo autem Dominus, et de-« xtris eleemosynas ab eis factas, et sinistris non factas se im-« putaturum esse praedixit, ut hinc ostenderet quantum va-« leant eleemosynae ad priora delenda, non ad perpetua impu-« ne committenda peccata. Tales autem eleemosynas non di-« cendi sunt facere qui vitam nolunt a consuetudine scelerum « in melius commutare. Quia et in hoc quod ait: *Quando uni « ex minimis meis non fecistis, mihi non fecistis*, ostendit eos « non facere etiam quando se facere existimant. Si enim chri-« stiano esurienti panem tamquam christiano darent, profecto « sibi panem iustitiae, quod ipse Christus est, non negarent: « quoniam Deus, non cui detur, sed quo animo detur, attendit. « Qui ergo Christum diligit in christiano, hoc animo ei porrigit « eleemosynam quo accedit ad Christum, non quo vult recede-« re impunitus a Christo. Tanto enim magis quisque deserit « Christum, quanto magis diligit quod improbat Christus » (1). Et eodem quoque modo ratiocinandum est quoad condonationem iniuriarum, Matth. VI-12. Condonatio enim ista impetrativa est remissionis peccatorum his qui a Deo petunt debitum sibi relaxari, non vero illis qui voluntate in peccato persistunt. Et ideo soli poenitentes per opera misericordiae consequentur veniam ab aeterna poena liberantem.

At nunc occurrit Hieronymus qui in cap. ult. Isaiae, ubi supra, christianos ex hoc quod christiani sunt, seu credentes in Deum, videtur ab aeterna poena eximere. Et idem habet l. 2 apologiae contra Rufinum n. 7: « Quod autem imprecaris « fratribus, hoc est comminatoribus tuis, aeternos ignes cum « diabolo, non tam fratres mihi videris premere, quam diabo-« lum sublevare, cum iisdem quibus christiani ignibus punien-« dus sit ». Idem quoque in dialogo contra Pelagianos n. 28, ubi distinguit inter impios et peccatores (2), tum concludit:

(1) August. l. 21 de civit. c. 27, n. 3.

(2) « Cuius est temeritatis, inquit, iniquos et peccatores impiis « iungere, qui a nobis sic definiuntur. Omnis impius iniquus est « et peccator, nec reciprocatur, ut possimus dicere, omnis peccator

« Diabolum et satellites eius omnesque impios dicimus perire « perpetuo, et christianos si in peccato praeventi fuerint, sal- « vandos esse post poenas ». Idem rursus in commentario super Ezechielem c. 26, ubi eorum meminit qui in angustia huius saeculi constituti deducuntur ad inferos, et operiuntur abyssis fluctibusque poenarum, et trahuntur ad inferiora terrae, et his copulantur qui in veteri solitudine sunt, et deducuntur in lacum sive in foveam sempiternam ut ultra non habitentur a Spiritu Sancto; de quibus scriptum est: impius cum ceciderit in profundum malorum, contemnit; nec de caetero erunt in terra viventium, sed peribunt et redigentur ad nihilum, et Deo esse cessabunt: « Quibus testimoniis utuntur, inquit, qui dicunt « *impiorum, et non peccatorum*, poenas esse perpetuas, qui « quaesiti a Deo, non sunt inventi, et in aeternum esse cessa- « runt, quia suo vitio perdiderunt eum qui dicit: ego sum vi- « ta ». Haec Hieronymus, cuius sententia fuisse videtur: impios, id est infideles, incredulos, vel etiam haereticos, si noluerint ad Dominum reverti quem dereliquerunt, aeternis poenis esse addicendos; at fideles in statu peccati morientes non esse perituros in sempiternum, sed fore salvandos post poenas purgatorias. Ab hoc naevo nonnulli inter quos Maffaeius in notis et observationibus ad opera Hieronymiana (1), S. Doctorem defendere conantur. Utrum felici successu, diiudicent doctiores. Sed in omni modo, nulla contra dogma catholicum sequitur conclusio. Etenim distinctio inter impios et peccatores intellecta de his qui in mortali decedunt, in ordine ad poenarum aeternitatem, est apud caeteros Patres penitus inaudita ac peregrina. Insuper nulli omnino rationi innititur, nisi quibusdam male intellectis Scripturae testimoniis, ut evidentissime

« et iniquus etiam impius est. Impietas enim proprie ad eos per- « tinet, qui notitiam Dei non habent, vel cognitam transgressione « mutarunt. Peccatum autem et iniquitas pro qualitate vitiorum, « post peccati et iniquitatis vulnera recipit sanitatem ». Et infra: « Sine lege impius est qui in aeternum peribit. In lege peccator « credens in Deum, qui per legem iudicabitur, et non peribit ».

(1) Migne, Patr. Lat. Tom. 23, col. 521.

ostendit Augustinus in libro de fide et operibus (1). Denique est aperte contraria tum Apostolo ubi supra, tum etiam evangelio, ubi una sola distinctio admittitur, ovium et haedorum, eorum qui bona egerint, et eorum qui mala.

Caeterum ratio intrinseca alibi exposita, sic breviter pro-

(1) Pro distinctione inter impium et peccatorem in ordine ad poenas aeternas, Hieronymus in dialogo c. Pelag, n. 28, has rationes affert : « Scriptum est : *Multa flagella peccatoris*, et non in« teritus sempiternus.... Quam ob causam et in primo Psalmo ca« nitur : *Quoniam non resurgent impii in iudicio.* Iam enim in per« ditionem sunt praeiudicati. *Neque peccatores in concilio iustorum.* « Aliud enim est gloriam perdere resurgendi, aliud perire perpetuo. « *Veniet*, inquit, *hora in qua omnes qui in sepulcris sunt, audient vocem « eius et egredientur qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui autem « mala, in resurrectionem iudicii.* Unde et Apostolus eodem sensu, quia « eodem et spiritu, loquitur ad Romanos: *Quicumque enim sine lege pec« caverunt, sine lege peribunt, et quicumque in lege peccaverunt, per « legem iudicabuntur.* Sine lege impius est, qui in aeternum peribit. « In lege peccator credens in Deum, qui per legem iudicabitur, et « non peribit ». — At contra, Augustinus l. de fide et operibus c. 23 : « Nec mitior ulla conditio promittenda est, sic in Deum cre« dere volentibus, ut permaneant in perditis moribus,... de illis « (verbis) ubi Apostolus ait : *Qui sine lege peccaverunt, sine lege « peribunt : qui autem in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur ;* « tamquam hoc loco aliquid distet inter perire et iudicari, cum alio « verbo hoc idem significatum sit. Solent enim Scripturae iudicium « etiam pro aeterna damnatione ponere, sicut in evangelio Dominus « loquitur : *Veniet hora in qua omnes qui sunt in monumentis audient « vocem eius, et procedent qui bene fecerunt, in resurrectionem vitae, « qui autem male egerunt, in resurrectionem iudicii.* Neque hic di« ctum est: hoc qui crediderunt, illud autem qui non crediderunt, « sed: hoc *illi qui bene egerunt*, illud *qui male*. Inseparabilis est « quippe bona vita a fide quae per dilectionem operatur, imo vero « ea ipsa est bona vita. Videmus itaque resurrectionem iudicii di« xisse Dominum pro resurrectione damnationis aeternae, etc. ». — Haec si bene consideraveris, vix dubium tibi remanebit quin liber Augustini de fide et operibus conscriptus sit, sin minus in directam confutationem sententiae Hieronymi, at certe in confutationem scriptorum quae ex eodem fonte processerant. De quibus scriptis ait Augustinus ipse l. 2 Retract. c. 38: « Interea missa sunt mihi a « quibusdam fratribus.... scripta nonnulla, quae ita distinguerent « a bonis operibus christianam fidem, ut sine hac non posse, sine « illis autem posse perveniri suaderetur ad aeternam vitam. Quibus « respondens librum scripsi... de fide et operibus ».

poni potest: Quisquis peccando sese moraliter deordinat deordinatione irreparabili, interminabilem meretur poenam in foro illius cui interior iustitiae ordo subest, hoc est in foro Dei. Atqui per omne mortale peccatum homo sese moraliter deordinat ea deordinatione, quae adhuc quidem reparabilis est per accidens in praesenti vita, sed omnibus modis irreparabilis evadit, adveniente termino viae, quando liberum arbitrium non amplius mobile est circa ultimum finem. Ergo eis omnibus qui cum reatu mortalis peccati decedunt, iustissime infligitur a Deo poena sine fine duratura. Et nota quod immobilitas voluntatis post mortem non est ipsa causa meritoria poenae aeternae, absit; sed solum est conditio sub qua meritum quod ex actu peccati oritur, semper manet et nunquam removetur.

THESIS III.

Inter omnes modos quibus accipi potest poenarum inferni mitigatio, ille certo certius pro erroneo habendus est, quo de lege praesertim universali et fixa statueretur diminutio secundum tractum temporis semper progressiva, quantum ad poenas quae per se, et non per accidens tantum, luuntur in inferno.

§ 1.

Pluribus modis intelligi potest mitigatio poenarum in inferno. Et primo quidem, ita ut dicatur quantitas poenae in iudicio Dei non adaequari culpae, sed ex misericordia taxari infra condignum. Hunc modum multi theologi ponunt. Sic S. Thomas in prima parte, Q. 21, a. 4 ad 1.um: « In damna-« tione reproborum apparet misericordia non quidem totaliter « relaxans, sed aliqualiter allevians, dum punit citra condi-« gnum ». Et in Suppl. Q. 99, a. 5 ad 1.um, huiusmodi mitigationem ponit specialiter pro his qui aliqua misericordiae opera in vita sua exercuerint: « Illi, inquit, misericordiam consequen-« tur qui misericordiam ordinate impendunt. Non autem ordi-« nate misericordiam impendunt qui seipsos in miserendo negli-« gunt, sed magis se impugnant male agendo. Et ideo tales mi-

« sericordiam penitus absolventem non consequentur, etsi con-
« sequentur misericordiam de poenis debitis aliquid relaxan-
« tem ». Hic mitigationis modus doctrinae fidei non repugnat. Quid autem de eo absolute sentiendum sit, difficile est dicere, cum ex utraque parte non contemnenda afferantur argumenta, et ideo tutius erit id nos Dei solius scientiae derelinquere, cuius misericordiae et iudicia in pondere sunt, solumque dicamus quod humanae convenit fragilitati : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

§ 2.

Alio modo intelligi posset poenas diminutum iri, idque iam processu temporis, quod praecedens modus non ponebat : ut si dicantur venialia puniri in inferno poena tantum temporali, itemque mortalia quoad culpam iam dimissa, in iis scilicet qui satisfactione nondum praestita, iterum peccant mortaliter, et pereunt. Et sane, si etiam in inferno non est nisi temporalis poena pro eiusmodi peccatis, statim sequitur diminuendas esse poenas post solutionem debiti quod eis respondebat. Porro iste quoque modus absque ulla censura sustinetur a pluribus theologis, duce Scoto in IV, Dist. 21. Quamquam non videatur admodum probabilis, ut dictum est in tractatu de peccatis, thes. 10 § 2. Vide rationes ibi expositas, quae etsi sola venialia directe respiciant, possunt etiam residuo reatui mortalium facile applicari. « Si enim, inquit Estius in IV, D. 46, § 3, satisfacere
« quis Deo non potest in hac vita dum est in affectu mortalis
« peccati, multo minus satisfacere poterit in inferno, cum eo-
« rum qui in inferno sunt, nulla possit esse cum Deo amici-
« tia, nec ullum amicitiae desiderium, sine quo tamen fieri
« non potest ut quis Deo satisfaciat ». Quidquid vero sit, non haec est poenarum mitigatio quantum ad peccata quae *per se* in inferno puniri debent et puniuntur.

§ 3.

Loquendo igitur de poenis per se in inferno luendis, fuerunt quidam veteres scholastici qui successivam mitigationem

possibilem esse dixerunt, propter suffragia fidelium. In quo quidem nitebantur tum apocryphis quibusdam historiis; tum auctoritati Augustini dicentis quod quibus prosunt suffragia, *aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio* (1); tum denique auctoritati ipsius Scripturae 2 Mach. XII-40, ubi laudatur Iudas Machabaeus de eo quod miserit duodecim millia drachmas argenti Ierosolymam offerri pro peccatis illorum interfectorum qui sub tunicis suis absconderant donaria idolorum, *a quibus lex prohibebat Iudaeos*, ac per hoc, in mortali peccato defuncti, ad infernum fuerant translati.

Sed omnes istae rationes nullius plane ponderis sunt. Nam de apocryphis historiis nihil certe curandum (2). Auctoritas vero Augustini non est ad rem, cum damnationem hic manifeste sumat pro punitione purgatorii, quae per suffragia quandoque totaliter expiatur, quandoque autem tantum diminuitur (3). Denique ex facto Iudae Machabaei, quacumque

(1) August. Enchirid. c. 110.

(2) Nec maioris auctoritatis sunt orationes illae quae, in vetustis quarumdam particularium ecclesiarum missalibus reperiri dicuntur.

(3) Augustinus l. c. defunctos distribuit in valde bonos, non valde malos, et valde malos, id est in eos qui sunt in beatitudine, in purgatorio, et in inferno. Tum subdit : « Cum ergo sacrificia sive « altaris sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis « omnibus offerantur, pro valde bonis, gratiarum actiones sunt ; « pro non valde malis, propitiationes sunt ; pro valde malis, « etiamsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescumque vivorum « consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, « ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio ». Non solum ergo non patrocinatur Augustinus sententiae eorum qui dicebant, per Ecclesiae suffragia sublevari animas damnatorum, sed etiam ei positive contradicit: Nulla, inquit, adiumenta mortuorum, sed qualiacumque solatia vivorum.

Nec meliori iure (quidquid dicat Petavius l. 3 de angelis c. 8 n. 17), afferretur auctoritas Chrysostomi in hom. 3 ad Philip. n. 4 ubi ostendit qua ratione quove modo lugendi sint mortui.

Et primo dicit esse aliquem luctum qui ipsi lugenti prodest, si nempe ploretur mortuus quia peccator defunctus est : « Nam qui « illum, inquit, hoc modo luget, multo magis ipse studium adhi-

suppositione facta, nihil concluditur, nam etiamsi concedatur peccatum horum interfectorum fuisse mortale peccatum, adhuc tamen probabiliter aestimari poterat quod ante mortem, maxime cum in ipsa pugna vidissent periculum imminere, de peccato eos poenituisset. Aderat ergo ratio sperandi quod cum pietate dormitionem accepissent, et consequenter cogitandi de suffragiis.

Quare de hac opinione dicit S. Thomas in Suppl. Q. 71, a. 5: « Est praedicta opinio praesumptuosa, utpote sanctorum « dictis contraria, et vana, nulla auctoritate fulta (1). Et est

« bibit, ne in eadem incidat mala: terrorem tibi posthac peccatum « incutiet. Luge infideles, luge eos qui nihil ab infidelibus diffe- « runt qui sine illuminatione, sine signaculo decesserunt; hi vere « lamentis digni, hi lacrymis: extra regiam sunt una cum iis qui « poenae sunt obnoxii, una cum damnatis. Luge eos qui in divitiis « sunt mortui, cum ex divitiis nullum animabus suis solatium com- « parassent; eos quibus abluendi peccata sua potestas facta erat, « et noluerunt. Hos quidem nos omnes et publice et privatim lu- « geamus, sed ita ut a decoro non recedatur... etc. ».

At vero, quia de nullo in particulari sciri potest an revera incurrerit aeternam damnationem, praesertim propter ultimi instantis inscrutabile secretum, ideo semper locus relinquitur luctui qui cum suffragiis coniunctus sit. Unde subiicit Chrysostomus: « Hos igitur « lugeamus, opem pro viribus feramus... Non frustra haec ab « apostolis sunt legibus constituta, ut in venerandis mysteriis me- « moria eorum fiat, qui decesserunt; noverant hinc multum ad « illos lucri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore quo « universus populus stat manibus passis, ac coetus sacerdotalis, et « illud horrorem incutiens sacrificium, quomodo Deum non pla- « cabimus pro istis orantes ?». Ubi vides Chrysostomum appellare ad traditionem apostolicam et consuetudinem universalis Ecclesiae, quae usque nunc pro omni christiano defuncto sacrificium altaris offert aut offerre permittit. Sed sicut immerito concluderes ex hac disciplina, esse nunc in fide Ecclesiae quod suffragia possunt prodesse quibuslibet defunctis, etiam damnatis ad gehennam, ita et sine causa eamdem sententiam imponeres Chrysostomo, ex hoc quod adhortatur auditores suos ad orandum pro omnibus, et pro iis quoque de quorum salute nulla positiva spes, quantum est in aestimatione hominum, relinquitur.

(1) Hic iterum cave a temerariis assertionibus Petavii, ubi supra. Sine causa, ut iam ostensum est, adducit Chrysostomum hom. 3 ad Philip., quasi docuerit prodesse etiam damnatis Ecclesiae suffragia.

« irrationabilis, tum quia damnati in inferno sunt extra vincu-
« lum charitatis secundum quam opera vivorum continuantur
« defunctis; tum quia totaliter ad vitae terminum pervenerunt,
« recipientes ultimam pro meritis retributionem, sicut et sancti
« qui sunt in patria. Quod enim adhuc restat de poena vel glo-
« ria corporis, hoc eis rationem viatoris non praebet, cum glo-
« ria essentialiter et radicaliter consistat in anima, et similiter
« miseria damnatorum. Et ideo non potest eorum poena dimi-
« nui, sicut nec gloria sanctorum augeri quantum ad prae-
« mium essentiale ».

§ 4.

At si praecedens sententia nullo modo sustineri potest, quanto minus illa quorumdam modernorum qui imaginantur progressivam diminutionem poenarum in damnatis, lege quadam universali et fixa. Et ut vitent haeresim asserentem futuram damnatorum liberationem, ponunt diminutionis modum ab antiquis Porretanis aliquando excogitatum, dicentes quod ita proceditur in diminutione poenarum sicut proceditur in

Nec meliori iure pro eadem opinione profert Damascenum in libro de defunctis, nullum praecisum ac determinatum locum citans. Sed liber ille de defunctis profecto ille est qui alias inscribitur: *De iis qui in fide dormierunt, quomodo missis et eleemosynis et beneficentiis quae pro illis fiunt adiuventur* (Patr. gr. Tom. 95 col. 247, seq.). Atqui in eo libro docet quidem Damascenus, eos qui pro peccatis suis nondum ad plenum in hac vita satisfecerunt, posse adiuvari per preces propinquorum et amicorum, nusquam vero inter mortuos quibus suffragia prosunt, eos recenset qui decesserunt cum reatu mortalium *quoad culpam* Vide praesertim ea quae diserte dicit n. 21 et seq.

At praeter omnem fidem est quod dicit Petavius de Augustino: «Damnatorum animas, inquit, sublevari istis vivorum auxi-
« liis, eorumque mitigari supplicia credit » Et in probationem adducit verba Enchiridii c. 110, ubi ait Augustinus sacrificium altaris esse propitiationem pro non valde malis! Sed quis, quaeso, unquam non valde malos, damnatos appellavit? Adhuc, eodem pruritu incitatus, de ipso Augustino addit idem Petavius: « Et in cap. 112 Enchiridii concedit ut mitigari aliquantum « poenas damnatorum arbitremur ». Atqui, utrum hoc *concedat* S. Doctor, pru-

divisione linearum. Quae cum sint finitae (sicut finitae quoque sunt poenae inferni quoad intensitatem), tamen in infinitum dividi possunt, et nunquam per divisionem consumuntur, dum scilicet subtractio successiva fit, non secundum eamdem quantitatem, sed secundum eamdem proportionem; velut si primo auferatur pars dimidia totius, et secundo pars dimidia illius dimidiae, et iterum dimidium dimidii, et sic deinceps in infinitum. Et similiter dicunt quod post certum tempus diminuitur aliquota pars poenae, et post aliam temporis partem, aliqua remanentis pars secundum eamdem proportionem, atque ita porro, ita scilicet ut quidam ausus fuerit aliquando opinari, poenas damnatorum ad eum statum tandem posse reduci, in quo similiimae forent dolori qui apud nos ex simplici irritatione dentium innascitur.

Sed haec somnia sunt, praetereaque, nihil, nisi quod somnia ista regulae fidei omnino adversantur. Quibus tum temeritatis, tum scandalositatis, tum erroneitatis notae apprime conveniunt.

dens lector diiudicet. Agit de aeternitate poenarum contra eos qui illam non credebant : non quidem Scripturis divinis adversando, sed pro suo motu dura quaeque molliendo, et in leniorem flectendo sententiam, quae putabant in eis terribilius esse dicta quam verius, illud Psalmi 76 pro se afferentes: *Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* Tum subdit: « Hoc « quidem in psalmo legitur sancto, sed de his sine scrupulo intel- « ligitur qui vasa misericordiae nuncupantur, quia et ipsi non pro « meritis suis, sed Deo miserante de miseria liberantur. Aut si « hoc ad omnes existimant pertinere, non ideo necesse est ut « damnationem opinentur posse finiri eorum de quibus dictum est: « Et ibunt in supplicium aeternum... Sed poenas damnatorum certis « temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus « mitigari. Etiam sic quippe intelligi potest manere in illis ira Dei, « hoc est ipsa damnatio... Manebit ergo sine fine mors illa perpe- « tua damnatorum... quaelibet homines de varietate poenarum, de « dolorum relevatione vel intermissione *pro suis humanis motibus* « suspicentur ». In quo quidem manifestum est, Augustinum nequaquam *concedere* ut mitigari poenas arbitremur, sed pure *transmittere* id quod ad suum intentum non faciebat. Caeterum, nullum aliud fundamentum in opinione mitigationis agnoscit, praeter humanum placitum, humanamque cogitationem : *Si hoc eis placet*, inquit. Et iterum : *Pro suis humanis motibus.*

Dico primo: *nota temeritatis.* Nam omnis propositio quae audacter sese erigit absque fundamento contra receptam in Ecclesia sententiam, hoc nomine temeraria dicenda est, quidquid sit an graviores etiam censuras aliis ex capitibus forte mereatur, ut dictum est in tractatu de virtutibus, thes. 13 § 2. Atqui omnes temeritatis conditiones in praesenti concurrunt: hinc quidem communis Ecclesiae sensus, de quo ambigere possibile profecto non est; inde vero absentia cuiuscumque rationis vel auctoritatis, sed sola pro ratione vel auctoritate voluntas. Nam si testimonia a Petavio allata nihil faciunt pro sententia quae vult posse ex vivorum suffragiis usque ad diem iudicii aliquatenus mitigari supplicia damnatorum, multo minus, et ne apparenter quidem, pro diminutione progressiva atque indefinita quam moderni nostri ex suo arbitrio excogitant, et suo humano affectu in medium proferunt.

Dico secundo: *nota scandalositatis.* Est enim scandalosa propositio, quae praebet occasionem ruinae spiritualis, inclinando ad peccata, vel avocando ab exercitio virtutum. Haec autem sententia, sub specie emolliendi ea quae a doctrina fidei deterrent incredulos, penitus enervat timorem poenarum aeternarum, et conciliat vitio securitatem, et de se nata est pertrahere in spatiosam viam de qua Dominus in evangelio: quia lata porta, et spatiosa via est quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quanto ergo consultius dicerent cum Chrysostomo, hom. 9 in 1 Cor. n. 1: « Molesta sunt « haec (de poenis inferni) et molestia afficiunt auditorem. Hoc « bene novi ex iis quae ipse patior. Cor enim meum turbatur et « palpitat, et quo magis video probari id quod de gehenna di- « citur, eo magis tremo et ex metu refugio. Sed necesse est « haec dicere, ne in gehennam incidamus ».

Dico denique tertio: *nota erroneitatis.* — Primo propter sententiam Christi apud Marcum, IX-42. Si enim eo modo quo isti dicunt, poenae damnatorum cum progressu temporis diminuerentur, vermis eorum semper magis ac magis mortificaretur, et ignis eorum semper magis ac magis versus totalem ex-

tinctionem declinaret, quidquid nunc illud sit quod vermis et ignis nomine determinate intelligendum venit. Sed de verme qui semper magis ac magis elanguescit, de igne qui continuo motu semper magis ac magis consopitur, nusquam dici posset, praesertim cum tanta illa emphasi qua utitur Christus: in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. — Secundo propter proportionem quae Matth. XXV-46 ponitur inter aeternum supplicium damnatorum et vitam aeternam iustorum. Nam si aeternitas vitae nullum vitae decrementum recipit in iustis, nullum quoque aeternitas supplicii in damnatis. Unde et in Apocalypsi legitur quod fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum, et Patres ubi supra, memorant ardentem semper gehennam, et voracem vivacibus flammis poenam sine fine ac requie, et exercitam in universis sempiternis ultionem sempiternam, et alia similia quae hypothesi misericordium nostrorum per omnia contradicunt. — Tertio denique, propter incompossibilitatem blandae illius poenae quam isti imaginantur, cum perpetua exclusione a regno Dei de qua Apostolus 1 Cor. VI-9, et Galat. V-19. Nam, ut dicit Augustinus, Enchir. c. 112, etiamsi poena sola esset, quanta ibi minima cogitari potest: perire a regno Dei, exsulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei quam abscondit timentibus se, tam grandis est poena, ut ei nulla possint tormenta quae novimus comparari, si illa sit aeterna, ista autem sint quamlibet multis saeculis protrahenda.

THESIS IV.

In inferno, praeter poenam concomitantem, est poena inflicta duplex, poena scilicet damni consistens in privatione visionis Dei, tum poena sensus cuius instrumentum est ignis verus ac corporeus, miris sed veris modis torquens etiam animas et spiritus angelicos. Atque ex his omnibus poenis consurgit extrema miseria damnatorum, quae tamen non est eadem in omibus, sed inaequalis secundum meritorum inaequalitatem.

Poenam *concomitantem* dico illam quae ex natura rei pravam voluntatem ita comitatur, ut ipsa per se prava voluntas sit huius poenae causa, non modo meritoria, verum etiam effectiva, atque exsecutiva. « Iussisti enim, ait alloquens Deum « Augustinus l. 1 Confess. c. 12, et sic est, ut poena sua sibi « sit omnis inordinatus animus ». Et sane, sicut delectationis puritas perfectioni operationis naturali lege semper proportionatur, ita anxietas et perturbatio inordinationi eius. Nunc autem voluntas damnatorum est obstinata in malo, et ad finem pravum in quo immobiliter figitur, omnia refert, non valens amplius praeter finem illum operari (1). Cogita ergo, quantus sit vel ex solo hoc capite horror illius loci, ubi nulla et in nullo

(1) « In damnatis potest duplex voluntas considerari, scilicet vo- « luntas deliberativa et voluntas naturalis. Naturalis quidem non « est eis ex seipsis, sed ex auctore naturae, qui in natura hanc in- « clinationem posuit, quae naturalis voluntas dicitur. Unde cum « natura in eis remaneat, secundum hoc bona poterit in eis esse « voluntas naturalis. Sed voluntas deliberativa est eis ex seipsis, « secundum quod est in potestate eorum inclinari per affectum ad « hoc vel illud, et talis voluntas est in eis solum mala. Et hoc « ideo, quia sunt perfecte aversi a fine ultimo rectae voluntatis, « neque aliqua voluntas potest esse bona nisi per ordinem ad finem « praedictum. Unde etiam, etsi aliquod bonum velint, non tamen « bene volunt illud, ut ex hoc voluntas eorum bona dici possit ». S. Thom. Suppl. Q. 98, a. 1.

moralis rectitudo manet, sed sempiterna et consummata malitia inhabitat.

Verum de poena *inflicta* potissimum hic sermo esse debet, cuius scilicet efficiens causa solus Deus est, large nunc sumendo rationem efficientiae, prout se extendit etiam ad eas privationes quarum aliquis est auctor non quidem agendo, sed potius non agendo, ut alias dictum fuit in tractatu de peccatis, ad Q. 87. Et quia haec poena est duplex, de utraque per ordinem paucis agendum est.

§ 1.

Poena damni consistit in definitiva exclusione ab aeterna vita, seu gloria beatitudinis.

Hanc poenam Dominus in evangelio eiectionem appellat *in tenebras exteriores*, Matth. VIII-12, XXII-13, XXV-30. Nam, ut scite Maldonatus adnotat, beatitudo regni caelestis plerumque nobis exhibetur sub figura et similitudine convivii, et quidem non diurni, sed vespertini. Ratio est quia antiquus mos erat ut solemnia convivia de nocte fierent, ut apparet ex nomine coenae δεῖπνου quo fere semper nominantur, et ex parabola virginum apud Matth. XXV, et etiam ex Paulo qui ad receptam ubique consuetudinem alludens, in 1 Thess. V-7, ait: Qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Cum ergo solemnes coenae, utpote de nocte celebratae, copioso lampadum ornatu, tum ad necessitatem et usum, tum ad pompam et splendorem solerent illustrari, illi qui in coenaculo erant, in magno erant lumine; qui vero extra, versabantur in tenebris. Et sic etiam erit de aeterno gloriae coenaculo. Nam qui in eo admittentur, *non egebunt lumine solis, neque lumine lucernae, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in aeternum.* Qui vero foras eiecti hac beatitudine privabuntur, in densa nocte aeternum manebunt, et hoc modo idem erit, ab hoc convivio excludi, et in tenebras mitti exteriores.

Eadem poena adhuc significatur in sententia iudicii ulti-

mi, Matth. XXV-41, quando dicet Rex his qui a sinistris erunt: *Discedite a me, maledicti.* Sicut enim iusti iubebuntur venire ut possideant regnum quod eis paratum est a constitutione mundi, id est regnum coelestis beatitudinis, ita iubebuntur mali discedere tamquam ab hoc regno exclusi. Discessus ergo a Christo rege gloriae nihil aliud importat nisi aeternae privationis poenam, quam poenam damni vocant theologi.

Item Apoc. XXI-XXII, describens Ioannes regnum in quo sancti Deo fruuntur, munditiam absolutam aeternae illius civitatis multis prosequitur. Ubique aurum mundum simile vitro mundo, ubique plateae nitidissima luce resplendent, nec sine sacro quodam terrore cogitari potest quanta sit puritas requisita ut quis ambulet per fulgentes vias, et vel appropiet ad muros quorum singuli lapides margaritae sunt. Quare ab hoc paradiso gloriae vox egreditur dicens: *Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidae, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium.* In quo iterum asseritur poena damni, seu aeterna exclusio ab ea Ierusalem ubi est haereditas filiorum in visione Dei.

Haec est maxima poena inferni, sive consideretur secundum se, sive consideretur ut dolorem afferens et tormentum. In quo quidem primum omnium animadvertes rationem huius distinctionis in hoc esse, quod non oportet ut omnis poena sit semper coniuncta cum dolore et tormento. Ad poenam enim sufficit ut sit contra voluntatem solum habitualem, eo modo quo contra habitualem voluntatem est privatio boni de qua doleret homo si illam cognosceret ,etiamsi forte de ea non doleat quia de facto illam non cognoscit. Et sic se habet poena damni in iis qui cum solo originali decedentes, omnia bona quae naturae debita sunt possident, et de ordinatione hominis ad supernaturalem visionem gloriae nihil sciunt aut scire possunt (1). At non ita in caeteris. Quapropter alio modo consideratur haec poena secundum se, et alio modo secundum quod

(1) S. Thom. de Malo, Q. 5, a 2 3.

ex ea positivus innascitur dolor. Porro secundum se non admittit gradus, sed est eadem in omnibus, mensuram habens ex magnitudine boni cuius est privatio; cui quidem bono nihil potest comparari, ut constat.

Solum igitur superest consideranda poena ista secundum quod in inferno maximam secum affert tristitiam et desperationem. Sed in ea re omnis sermo deficit, et omnis succumbit cogitatio, quia huius afflictionis gravitatem vix nos inter fascinationes mortalis vitae constituti valemus aestimare. Attende tamen illam *abyssum universae spiritualis creaturae in profundo tenebroso*, de qua alicubi meminit Augustinus (1). Re vera, tenebrosa abyssus ipsi sibi est universa mens creata, propter infinitatem quam habet, non actus, sed capacitatis seu potentiae. Vae autem ei, iterumque vae, si in hanc abyssalem vacuitatem defluat, et in ea profundetur. Et in praesenti quidem, eiusmodi tormenti adumbrationem aliquantisper experimur, praesertim cum nobismetipsis relinquimur, et ab exterioribus bonis quae nos maxime pro statu mortalitatis trahunt, sequestramur, ut locus sit dicendi cum Iob: « Cogitationes « mea dissipatae sunt torquentes cor meum, noctem verterunt « in diem, in tenebris stravi lectulum meum ». Verumtamen, ad inferiora et materialia nunc conversi ,circa spiritualia atque invisibilia parum afficimur; atque idcirco, tanto tolerabilius portamus miseram inquietudinem nostram, quanto magis ab interioribus distrahimur et fascinatione nugacitatis illudimur.

(1) « Defluxit angelus, defluxit anima hominis, et indicaverunt « abyssum universae spiritualis creaturae in profundo tenebroso, « nisi dixisses ab initio, fiat lux, et facta esset lux, et inhaereret « tibi omnis obediens intelligentia caelestis civitatis tuae, et requiesce- « ret in Spiritu tuo qui superfertur incommutabiliter super omne mu- « tabile. Alioquin et ipsum caelum caeli tenebrosa abyssus esset « in se ; nunc autem lux est in Domino. Nam et in ipsa misera « inquietudine defluentium spirituum et indicantium tenebras suas « nudatas veste luminis tui, satis ostendis quam magnam creaturam « rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem » quidquid te minus est, ac per hoc, nec ipsa sibi ». Augustin. l.13 **Confess. c. 8.**

Sed in futura vita alius est et essendi et cognoscendi modus, et tam cito cessante unione ad corruptibile corpus, tam cito cessat transvertens sensum inconstantia concupiscentiae. Tunc ergo in tenebrosa sui ipsius abysso anima damnata profundatur, et eo magis profundatur, quo maiori sensu afficitur suae potentialitatis, sciens ad quam magnam beatitudinem fuerat praeordinata; quo etiam longius a terra quietis in sempiternum repulsam se videt; quo magis de aeterno vacuo et impertransibili chao in quod decidit, sibi conscia est. Hinc, Matth. VIII-12: *Eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* Et infra, XXII-13: *Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* Et rursus, XXV-30: *Eiicite in tenebras exteriores, illic erit fletus et stridor dentium.* Et de poena quidem damni hactenus satis.

§ 2.

Sed praeter poenam damni est etiam poena sensus, quae tamen non ideo dicitur sensus, quasi esset necessario in parte sensitiva. Divisio enim in poenam damni et poenam sensus generalissima est, et applicatur etiam spiritibus angelicis animabusque separatis in quibus nulla sensatio esse potest. Sed sicut poena damni consistit essentialiter in subtractione boni, id est beatitudinis, ita poena sensus in positiva inflictione eius quod extrinsecus in instrumentum punitionis adhibetur. Poena enim debet respondere culpae per quam mens non solum avertitur ab ultimo fine, verum etiam indebite convertitur in alia quasi in fines. Et ideo non solum puniendus est ille qui peccat, per hoc quod excludatur a fine, sed etiam per hoc quod ex aliis rebus sentiat nocumentum, iuxta illud Apocal. XVIII-7: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.*

Porro instrumentum poenae sensus dicimus esse ignem verum ac corporeum. In qua quidem assertione etsi dogma fidei non sit, est tamen sententia adeo recepta in Ecclesia, ut maximae saltem temeritatis notam effugere non possit quisquis in contrarium opinatur. « Corporeum et materia constantem

« esse inferorum ignem, theologi hodie omnes, imo et christiani « consentiunt », inquit Petavius l. 3 de angelis, c. 5. « Praemit- « tendum est ignem inferni esse corporeum: quae sententia est « communis omnium scholasticorum », inquit Vasquez in primam partem, Disp. 243, c. 1. « Ignem corporeum hoc loco in- « telligi non dubitamus, ait Estius in c. 10 ad Heb., sicut et « alibi, cum de poena damnatorum Scriptura loquens ignem « nominat... Nobis (contra Calvinum) sufficiat quod eam ignis « metaphorici interpretationem orthodoxi Patres iam olim in « Origene damnarunt ». Qua in re maxime perpendenda sunt verba Hieronymi, ubi super locum Apostoli ad Eph. V-6: *Nemo vos decipiat inanibus verbis*, sic commentatur: « Verba « quae decipiunt atque supplantant, inania sunt et vacua. Quae « vero aedificant auditores, plena, cumulata, conferta. Quia « igitur sunt plerique qui dicunt, non futura pro peccatis esse « supplicia, nec extrinsecus adhibenda tormenta, sed ipsum « peccatum et conscientiam delicti esse pro poena, dum vermis « in corde non moritur, et in animo ignis accenditur, in simi- « litudinem febris quae non torquet extrinsecus aegrotantem, « sed corpora ipsa corripiens, punit sine cruciatuum forinsecus « adhibitione quod possidet. Has itaque persuasiones et deci- « pulas fraudulentas, verba inania appellavit et vacua, quae « videntur florem quemdam habere sermonum, et blandiri pec- « cantibus, sed dum fiduciam tribuunt, magis eos ferunt ad « aeterna supplicia » (1). Ponderanda, inquam, sunt haec Hieronymi verba, quia ostendunt quam crudelem misericordiam habeant erga homines, et quam praevaricatores sui muneris sint, quicumque contra communem sensum christianorum aut negant aut in dubium revocant realitatem ignis infernalis, auferentes a denuntiatione poenae id quod in ea maxime medicinale est. Non quod poena ignis sit gravior quoad se, sed quia illa sola est qua in praesenti vita commoveri solent peccatores, ut recte notavit S. Thomas l. 3 c. Gent. c. 145: « Nullus, in- « quit, timet amittere quod non desiderat adipisci. Qui ergo

(1) Hieronymus, l. 3 Comment. in epist. ad Ephes.

« habent voluntatem aversam ab ultimo fine, non timent exclu-
« di ab illo. Non ergo per solam exclusionem ab ultimo fine, a
« peccando revocarentur. Oportet igitur peccantibus aliam poe-
« nam adhiberi, quam timeant peccantes ».

Porro veritas ignis infernalis demonstratur ex Scriptura, quae non modo in poeticis prophetarum descriptionibus, verum etiam in plano et simplici sermone, etiam cum ratio argumenti omnimodam requirit locutionis proprietatem, etiam cum sanctio legis a legislatore ipso edicitur ac promulgatur, poenam ignis uniformiter ac constanter gravissimis verbis asseverat. Sententia in ultimo iudicio proferenda, haec est: *Discedite in ignem aeternum.* Item apud Matthaeum, XIII-42, ubi de seminante et zizaniis, non iam in parabola ipsa, sed in explicatione seu declaratione parabolae ad discipulos: *Messis*, inquit, *consummatio saeculi est. Messores autem angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit in consummatione saeculi. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis.* Rursus apud Marcum, IX 48, post ter commemoratam gehennam ignis ubi vermis non moritur et ignis non exstinguitur, ut ignis poenam altius in mente auditorum infigeret, hac finali clausula sermonem conclusit dicens: *Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur*, id est, salietur igne sicut omnis victima salitur sale (1). Ubi de damnatis loquitur tamquam de victimis ad ostensionem iustitiae Dei et vindictam laesae maiestatis immolatis. Et quia, ut Lex praecipiebat, Levit. II-13, omnis victima sale condienda erat, dixit etiam saliendos esse damnatos; verumtamen futurum illis esse pro sale ignem, cuius perpetuis cruciatibus punirentur. Id tandem insinuat ipsum *gehennae* nomen, toties pro inferno in evangelio positum. Nam idem est gehenna ac gehennon, seu vallis filiorum Hennon, in qua Iudaei filios suos et filias suas daemoniis olim immolaverant in igne. « Idolum Baal, inquit Hie-

(1) Eadem loquendi forma ac Prov. XXV-3, 23, 25, ubi *et* ponitur pro *sicut*.

« ronymus l. 1. in Matth. c. 10, fuisse iuxta Ierusalem ad radi-
« ces montis Moria, in quibus Siloe fluit, non semel legimus...
« In tantam autem dementiam populus Israel venerat, ut de-
« serta templi vicinia, ibi hostias immolarent, filiosque suos dae-
« moniis incenderent... Et appellabatur locus ille gehennom, id
« est vallis filiorum Hennon. Hoc Regum volumen (1), et Pa-
« ralipomenon (2), et Ieremias (3) scribunt plenissime ». Sem-
per ergo in eadem ignis poena omnibus modis inculcanda per-
severat Christus.

Illam apostoli quoque simplicibus et planis, minimeque hyperbolicis verbis denuntiant. Apud Iudam vers. 23, idem est rapere errantes de igne, ac retrahere eos ab aeterna damnatione: *Illos vero salvate*, inquit, *de igne rapientes*. Et Petrus in secunda sua epistola, III-7, ait coelos qui nunc sunt et terram esse igni reservatos, idque *in diem iudicii et perditionis impiorum hominum*, ut usum illius ignis praecipuum ostendat, qui erit, iniquos in aeternum punire. Paulus etiam, Heb. X-27, exhortatur ad constantiam in fide, ostendens quod nulla apostatis relinquitur pro peccatis hostia, sed *terribilis quaedam expectatio iudicii, et ignis aemulatio quae consumptura est adversarios*. Tum 2 Thess. I-8, commemorat futuram *revelationem Domini Iesu de coelo cum angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, et qui non obediunt evangelio, qui dabunt poenas in interitu aeternas a facie Domini et a gloria virtutis eius*. Quae omnia quominus tamquam metaphorice dicta accipiantur, vetat vel ipsa continuata, uniformis, ac toties repetita ignis denuntiatio. Vetat vel maxime, quod ignis ille in quem mittentur impii, et in

(1) « Contaminavit quoque Tophet, quod est in convalle filii « Ennon, ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem, « Moloch », 4 Reg. XXIII-10.

(2) « Ipse est (Achaz) qui adolevit incensum in Valle Hennon, « et lustravit filios suos in igne, iuxta ritum Gentium quas inter- « fecit Dominus in adventu filiorum Israel ». Paralip. XXVIII-3.

(3) « Aedificaverunt excelsa Tophet, quae est in valle filii « Hennon, ut incenderent filios suos et filias suas igni ». Ierem. VII-31.

quo salientur, ignis aemulator seu zelans pro gloria Dei contra adversarios, ignis cui reservantur coeli qui nunc sunt et terra, et in quo revelabitur dies Domini: huiusmodi, inquam, ignis nonnisi ineptissima locutione diceretur de aliquo quod non esset ipsis impiis extrinsecum, sed ab intimis eorum oriens, in intimis quoque eorum immaneret, quemadmodum iis placet qui Origenem secuti, ignem interpretantur conscientiam peccatorum et poenitudinem intima cordis urentem.

At dices eamdem esse rationem de igne ac de verme, de quo Isai. LXVI-24: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Atqui vermis est metaphorice accipiendus. Ergo et ignis. — Respondeo: *Dist. mai.* Est eadem ratio quoad interminabilitatem cruciatus, *conc.* Quoad proprietatem acceptionis tam vermis quam ignis, *neg.* In hoc enim paritas multipliciter deficere ostenditur. Primo quia de igne constans est et ubique repetita asseveratio; de verme autem non ita. Secundo quia usualis et trita est metaphora, qua vel remorsus conscientiae vel animi moeror vermis nominatur, iuxta illud Prov. XXV-20: *Sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* At nescio utrum vel unum exemplum e Scriptura adduci possit, in quo ignis pro causa afflictionis mere interna positus sit. Tertio denique quia vermis affligens et corrodens semper exhibetur ut ab intimis pullulans et ex putri generatus; quod sane ad litteram verificari nequit, nec quantum ad animas separatas, nec quantum ad corpora post resurrectionem. Superest igitur ut usualis figura sermonis ibi agnoscatur; nunc autem metaphorica acceptio omnino repugnat iis quae de igne inferni diserte nos Scriptura edocet, ut dictum est supra, et ideo non est similis ratio.

Sed iam instabis dicendo quod de igne quoque est ratio cogens ne proprie accipiatur, quia ut sibi obiicit Augustinus l. 21 de civit. c. 10: « Si non erit ignis incorporalis, sed cor-« poralis, tactu noxius, ut eo possint corpora cruciari, quomodo « in eo erit etiam poena spirituum malignorum? Idem quippe « ignis erit supplicio hominum attributus et daemonum, dicente

« Christo: *Discedite... in ignem aeternum qui paratus est dia-*
« *bolo et angelis suis* ». Unde sic formatur argumentum: Impossibile est ut corporeus ignis torqueat spiritus incorporeos. Sed ignis inferni ille ipse est qui paratus est spiritibus seu daemonibus ab omni materia separatis. Ergo corporeus et materia constans nequaquam esse potest. — Respondeo: *Dist. mai.* Impossibile est ut corporeus ignis torqueat spiritus incorporeos ex sola virtute suae naturae, *conc. mai.* Ut instrumentum divinae iustitiae, *subdist.* Tamquam inferens passionem vel corpoream vel animalem, *conc.* Tamquam ingerens passionem spiritualem, id est afflictionem et tristitiam secundum quod media apprehensione esse potest in appetitu intellectivo, *neg. mai.* In quo quidem aliqualiter iuvari possumus cogitando quantum valeat horribilis visio ad cruciandam et terrendam animam, praesertim si huic visioni contra omnem suam voluntatem anima alligetur, et visio ipsa se habeat per modum continuae cuiusdam obsessionis. Pone ergo spiritus in inferno alligatos aeternae et semper actuali apprehensioni illius ignis quem in suae irae perenne instrumentum succendit Deus, et iam apparebit posse ignem corporeum incorporeas mentes cruciare et affligere. Sive ergo solus ille admittatur modus, sive addantur etiam alii de quibus inter se disputant theologi, semper rationabilis videbitur sententia Augustini ubi supra: « Cur
« non dicamus, inquit, quamvis miris, tamen veris modis etiam
« spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi, si
« spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, et nunc
« potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt
« corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhaere-
« bunt ergo spiritus daemonum, imo spiritus daemones, licet
« incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non ut ignes ipsi qui-
« bus adhaerebunt, eorum iunctura inspirentur..., sed ut dixi,
« miris et ineffabilibus modis adhaerendo, accipientes ex igni-
« bus poenam, non dantes ignibus vitam ».

Frustra etiam muniret se aliquis auctoritate quorumdam Patrum, puta Ambrosii l. 7 in Luc. n. 14, Theophylacti in

cap. 9 Marci, et Damasceni in fine operis de fide orthodoxa. Nam in primis, dici forsitan posset, non eas esse auctoritates quae sibimetipsis semper constent, aut interpretationem non patiantur. Certe cum Damascenus ignem asserit, *non qui instar nostri materia constet, sed qualem Deus novit* (1), non absolute corporeum ignem negat, sed ignem qui sit sicut ille quem novimus et experimur, nimirum pabuli egens, et consumens corpora ex quarum combustione alimentum capit. Et idem ille Ambrosius qui in Lucam ubi supra, dixit: « Ergo « neque est ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, « neque vermis est corporalis... Ignis est quem generat moesti- « tia delictorum », alibi in enarrationibus super Psalmum 118 passim, et super Psalmum 36, n. 26, aliter omnino sentire videtur. Quidquid vero sit, extra omnem controversiam positum est, quod non omnia quae nonnulli dixerunt Patres in re nondum plane eliquata, causam semper suppeditent libere opinandi, etiam postquam facta est in Ecclesia doctrinae explicatio, et accessit universalis consensus omnium scholarum et probatorum theologorum. Alioquin, usque nunc liberae manerent opiniones quas certo certius orthodoxia iam non patitur, ut est exempli gratia, opinio illa quae angelis tribuebat corpora, aut illa alia solemni iudicio confixa, quae differebat in sanctis visionem Dei usque in iudicii diem.

Denique adhuc magis explodenda est ratio eorum qui ex pruritu emolliendi tremendam veritatem poenarum aeternarum, et construendi infernum a quo humana carnalitas non adeo refugeret, tali utuntur argumento: Si, inquiunt, poenae illae tam graves exsisterent sicut vulgo esse existimantur, quomodo tandem fieri posset ut diabolus qui omnium damnatorum caput et princeps, in miseria quoque damnatorum obtinet principalitatem, adhuc occupari posset in decipiendo et tentando homines? Quomodo explicarentur ea quae in exorcismis eveniunt, in quibus videntur quandoque daemones ludere, irride-

(1) L. 4 de fide orth. c. 27.

re, et cachinnari? Quomodo Satanas incenso adorationis tanto pere delectaretur, et pro retinendo mundi principatu tam desperate concertaret? Certe doloris intensitas omnem aliam operationem impedire atque suspendere solet. Pone hominem in rogo medias inter flammas: numquid forte in tanto tormento positus, adhuc de aliis poterit esse sollicitus, et non totus in suo dolore immergetur? Atque hoc quidem modo ingeniosi isti auctores ratiocinantur.

Sed si qua in eo ratiocinio apparentia est veritatis, nonnisi ex falsa et valde grossa imaginatione qua imaginantur conditionem spirituum eamdem cum nostra in hoc praesenti corruptibilitatis statu. Quippe apud nos intensus dolor impedit et suspendit operationes alias, quia in nostra mortali vita omnis omnino operatio, etiam intellectus et voluntatis, requirit conatum corporalem et expensam vitalium fluidorum; quae si in una parte consumantur ac veluti absorbeantur, consequens est ut ad caeteras functiones desint. At ridiculum sane esset conditionem hanc transferre ad spiritus angelicos vel animas separatas, imo et ad integrum hominem postquam in futura resurrectione incorruptibile corpus acceperit. Neque enim erit tunc quoad ipsa corpora idem patiendi modus ac nunc, sed ibi quoque id futurum est quod oculus non vidit et auris non audivit.

Duo igitur interim certissime tenenda. Primo quod non oportet ea quae ad vitam futuram spectant, reducere ad mensuram eorum quae in praesenti experimur. Secundo quod in aeternum permanet eloquium Veritatis: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*, et iterum: *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.*

Quaestio IV.

DE PURGATORIO

Deinde considerandum est de purgatorio. Et primo de exsistentia purgatorii. Secundo de duratione eius. Tertio de poenis animarum quae in eo detinentur.

THESIS V.

Dogma fidei catholicae est, existere purgatorium, in quo post mortem poenis purgantur qui vere poenitentes in Dei caritate decesserunt, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis.

Propositio integra est Concilii Florentini in definitione fidei seu decreto unionis Graecorum, apud Denzinger n. 588. Ex cuius tenore decreti constat causam poenarum purgatorii assignari omne peccatum pro quo homo in Dei charitate decedens, plenam remissionem non est consecutus. Non ergo imaginaberis sola venialia puniri in purgatorio, sed firmiter tenebis ibi expiari vel maxime, mortalia quae ante terminum viae iam fuerunt remissa quoad culpam, nondum tamen, saltem de integro, quoad remanentem illum temporalis poenae reatum de quo agunt theologi in tractatu de Poenitentia (1). Proinde, si quando specialis connexio ponitur inter purgatorium et venialia, hoc ideo est, quia mortali peccato non debetur poena tantum transitoria nisi aliqua suppositione facta, id est si iam ablata sit eius macula per iustificationis gratiam; veniali autem debetur antecedenter et per se. Caeterum, quid-

(1) Vide in tertiam partem, Q. 86, n.5; et de Peccatis, thes. 7 in corollario.

quid in hac vita dignis satisfactionibus remissum non est (1), in futura vita usque ad plenam remissionem expurgandum relinquitur. Et hoc sensu asseritur nunc contra haereticos purgatorii exsistentia, pro qua, non traditionis modo, sed et Scripturae quae in canone est (2), certissima prostant testimonia.

§ 1.

Porro primum caput probationis desumitur ex oratione pro mortuis, qualis semper in usu fuit in ecclesiis fidelium, videlicet pro eis mortuis qui praesumuntur decessisse in Dei gratia, et tamen ad refrigerii sedem, utpote adhuc vinculis peccatorum constricti, nondum pervenisse. Si enim eiusmodi suffragia in monumentis revelationis instituta, laudata, omnique ope commendata inveniuntur, eo ipso pro revelato dogmate habendum est, esse aliquod receptaculum in quo post mortem animae sanctae propter peccata in vita commissa poenis detinentur, donec plene purgatae ad beatorum transeant societatem. Atqui revera, in religione revelata tam Veteris quam Novi Testamenti, haec ipsa pro mortuis oratio certissimis auctoritatibus communitur.

Ut autem a Veteri Testamento exordiar, apertissimus necnon et notissimus locus est 2 Mach. XII-39: *Sequenti die venit cum suis Iudas, ut corpora prostratorum tolleret, et cum parentibus poneret in sepulcris paternis. Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum... a quibus lex prohibet Iudaeos. Omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc*

(1) Dignis satisfactionibus, inquam. Quae tamen possunt esse etiam ab extrinseco sub certis conditionibus applicatae, prout explicari solet cum de indulgentiis sermo est, vel de reversibilitate satisfactionum generatim.

(2) In bulla Leonis X contra Lutherum damnatur haec propositio, quae est 37ª: *Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura quae sit in canone.*

causam eos corruisse. Omnes itaque benedixerunt iustum iudicium Dei, qui occulta fecerat manifesta. Atque ita ad preces conversi rogaverunt ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur. At fortissimus Iudas hortabatur populum conservare se sine peccato, sub oculis videntes quae facta sunt pro peccatis eorum qui prostrati sunt. Et facta collatione, misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans... Et quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur. Quo in loco habes omnia quae ad rem praesentem faciunt. Est enim sermo de mortuis qui sancta morte obiisse supponuntur, ut expresse dicitur vers. 45. Et iam superius notatum est, nihil omnino referre an peccatum quod admiserant, mortale fuerit vel veniale tantum, quia pro mortali quoque peccato locus est contritioni et poenitentiae in extremis quae etiam tanto meliori iure erat in casu praesumenda, quod pro patriis legibus sanctissimaque religione in bello sacro decertantes isti occubuerant (1). Praeterea, factum Iudae Machabaei a Scriptura laudatur tamquam ex vera fide et religiosa voluntate profectum. Denique expressa conclusio est in asserta sanctitate orationis quae fit pro defunctis ut a peccatis solvantur, hoc est a poenis peccatorum; tunc enim ultima peccati solutio est, cum dimissa tota

(1) « Il ne sert de rien de répliquer que l'action de Judas « Machabée était manifestement irrégulière, puisque les morts pour « lesquels il fit offrir des sacrifices étaient des gens morts dans le « crime, á qui on avait trouvé des viandes immolées aux idoles, « et que Dieu avait punis pour cela. Car Judas Machabée... en tout « cas ignorait s'ils ne s'étaient pas repentis de ce péché. Ce grand « homme savait que tous ceux que Dieu fait servir d'exemple aux « autres, ne sont pas pour cela toujours damnés sans miséricorde. « Ainsi il avait raison d'avoir recours aux sacrifices, et son action « où personne ne remarque rien d'extraordinaire, non plus que dans « la louange que lui donne l'auteur de ce livre, fait voir qu'il était « dès lors établi parmi les Jufis, qu'il restait une expiation et des « sacrifices pour les morts ». Bossuet, Defense de la tradition sur la communion sous une espéce, c. 8

peccati poena, plenam libertatem ab omnibus peccati sequelis anima consequitur.

Et nota quod factum Iudae Machabaei prodit etiam usum ac consuetudinem in antiqua Synagoga exsistentem. Nota quod ex eodem facto lucem accipere possunt aliqua alia Scripturae loca quae per se obscura et ambigua non diffitemur, velut cum 1 Reg. XXXI, et 2 Reg. I, pro mortuis luctus et ieiunium indicitur, vel cum Tobias senior inter caetera pietatis praecepta mandat filio suo dicens: *Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege. Panem tuum et vinum tuum super sepulturam iusti constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus* (1). Ubi allusio fieri videtur ad morem Gentilium qui super tumulos defunctorum cibos et vina conferebant, quasi solatium inde mortuis proveniret. A qua superstitione filium suum avertens Tobias, hortatur ut de pane et vino suo pro iusto defuncto largiatur pauperibus eleemosynam quae animae eius possit prodesse per modum suffragii. Denique non improbabiliter censent multi, ad hoc quoque pertinere id quod Paulus in 1 Cor. XV-29 dicit de iis *qui baptizantur pro mortuis*, per allusionem ad morem apud Iudaeos obtinentem assumendi purificationes et poenitentias pro requie mortuorum. Quidquid vero de hoc sit, fidei antiquae Synagogae documentum omni exceptione maius in eo est, quod usque in hodiernum diem ex immemorabili traditione maiorum Iudaei pro suis defunctis orant (2). Quare non multum proficient Protestantes, canonicitatem libri Machabaeorum ex arbitrio reiiciendo. Adhuc enim contra eos facit oratio pro mortuis (cum qua intime connectitur fides purgatorii), prout fuit in communi usu antiqui populi Dei. Et multo magis eos ferit universalis disciplina totius ab initio populi christiani apostolorum institutione formati; cuius quidem disciplinae si

(1) Tob. IV-17.

(2) « La prière pour les morts se trouve dans toutes les synagogues des Juifs, et dans leurs rituels les plus autentiques». Bossuet, 1. c.

omnia testimonia referre opus esset, « nec ipsum arbitror « mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros ».

In Constitutionibus apostolicis l. 8, c. 41 sic legitur: « Pro fratribus nostris qui in Christo requieverunt, oremus, « ut hominum amans Deus, qui animam defuncti suscepit, ei « remittat omne peccatum voluntarium ac non voluntarium, et « propitius clemensque factus, collocet eum in regione piorum « quiescentium in sinu Abrahae, cum omnibus qui a saeculo « placuerunt Deo, ac eius voluntatem fecerunt; unde aufugit « dolor, tristitia et gemitus, etc. ». — Tertullianus de Monogamia c. 10 ait: « Enimvero (vidua christiana) pro anima eius « (mariti) orat, et refrigerium interim adpostulat ei, et in prima « resurrectione consortium, et offert annuis diebus dormitionis « eius ». Et idem repetit, Exhort. ad castit. c. 11. — Cyprianus epist. 66, de quodam Victore defuncto ad clerum et plebem Furnis consistentem scribit: « Et ideo Victor, cum contra for- « mam nuper in concilio a sacerdotibus datam, Geminium Fau- « stum presbyterum ausus sit (testamento) tutorem constitue- « re, non est quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, « aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur, « ut... caeteris fratribus detur exemplum ne quis sacerdotes « et ministros Dei altari eius et Ecclesiae vacantes, ad saecu- « lares molestias devocet ». — Arnobius l. 4 c. Gent. 36, paganos christianorum persecutores his redarguit verbis: « Nam « nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari? cur im- « maniter conventicula dirui? in quibus summus oratur Deus, « pax cunctis et venia postulatur, magistratibus, exercitibus, « regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, et « resolutis corporum vinctione ». — Ambrosius in funebribus orationibus quae sunt apud omnes notissimae, Valentiniano et Theodosio imperatoribus requiem precatur, et oblationes cum orationibus pro iis faciendas admonet. — Hieronymus epist. 66, n. 5, Pammachium laudat quod animae uxoris defunctae eleemosynis suffragetur: « Caeteri mariti, inquit, su- « per tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque

« purpureos, et dolorem pectoris his officiis consolantur. Pam-
« machius noster sanctam favillam ossaque veneranda elee-
« mosynae balsamis rigat. His pigmentis atque odoribus fovet
« cineres quiescentes, sciens scriptum: Sicut aqua extinguit
« ignem, ita eleemosyna peccatum » (1). — Epiphanius, Haeres. 75, c. 4, Aerium refert in numerum haereticorum, quod inter alia dixerit: *Quae ratio est, post obitum mortuorum appellare nomina? Nam ut vivus oret, aut in pauperes bona sua dispenset, quid ex ea re tandem ad mortuum redit?* Tum c. 8-9 hunc errorem confutat, ad Ecclesiae traditionem seu legem potissimum appellando (2). — Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 23, n. 9, ordinem sacrae liturgiae exponens dicit: « Postea recordamur eorum quoque qui obdormierunt: pri-
« mum... apostolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus ora-
« tionem nostram suscipiat. Deinde et pro defunctis sanctis
« patribus et episcopis et omnibus generatim qui inter nos vi-
« ta functi sunt oramus: maximum hoc credentes adiumen-
« tum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum
« sancta et perquam tremenda coram iacet victima... Christum
« mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum
« cum pro illis tum pro nobis demereri et propitiare satagen-
« tes ». — Magnus etiam sanctus Basilius in orationibus, quae in vigilia Pentecostes genu flexo dici solebant, in una earum sic pro mortuis orat: *Exaudi nos humiles supplicantes... et da requiem animabus servorum tuorum praedormientium, in loco lucido, in loco virenti, in loco refectionis, unde dolor, gemitus et moestitia longe depulsa sunt, et statue spiritus eorum in tabernaculis iustorum pacis atque remissionis.* In exsequiis vero mortuorum sic vice defuncti Salvatorem alloquitur: *Imago sum tuae ineffabilis gloriae, quamvis feram stigmata peccatorum. Figmenti tui Domine, miserere, et pie-*

(1) Huic Hieronymi epistolae gemina est epist. 13 S. Paulini Nolani ad eumdem Pammachium.

(2) Epiphanio adiunge Augustinum l. de haeresibus, c. 53 et Damascenum l. de haeresibus, c. 75.

tate tua me purga, patriamque desideratam largire, et iterum paradisi curiae restitue (1). Accedunt expressa testimonia Chrysostomi, Augustini, et Damasceni in praecedenti quaestione iam allata. Accedunt et monumenta liturgiarum omnium tam Orientalium quam Occidentalium quae hic transcribere non vacat.

Haec igitur indubia argumenta sunt institutionis quae ab ipsis Christi apostolis profecta, in totam manavit Ecclesiam; in qua quidem institutione continetur apertissime fides cuiusdam status seu receptaculi, in quo animae fidelium luunt poenas peccatis debitas, antequam admittantur in beatitudinem. Et hoc vocamus purgatorium.

§ 2.

Alterum caput demonstrationis est ex loco Apostoli, 1 Cor. III, 11-15: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus arserit detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Huius loci tres tantum sunt expositiones possibiles, quatenus ignis de quo hic sermo, vel est ignis tribulationis praesentis vitae, vel est ignis puniens peccata in altera vita, et siquidem in altera vita, vel ignis aeternus inferni, vel ignis quidam purgatorius.

Atqui nec de praesenti tribulatione, nec de igne inferni accipi possunt verba Apostoli.

Non de praesenti tribulatione, tum quia dies Domini in quo ignis ille probabit opera, constanter accipitur in Scripturis pro tempore iudicii et retributionis post hanc vitam; tum

(1) Acta Concilii Florentini, Collat, 22, in deputatorum cedula de purgatorio.

quia tribulationes praesentes nequaquam manifestam faciunt qualitatem operum, sed communes sunt et bonis et malis, imo vero speciali quodam privilegio melioribus et sanctioribus plerumque reservantur.

Nec etiam de igne inferni. Primo, quia illi qui deputantur igni aeterno nullo modo dici possunt habere in corde Christum loco fundamenti, quandoquidem, ut ratiocinatur Augustinus Enchirid, c. 69, in aedificio prius non est aliquid fundamento, et ideo si Christus in corde tenet fundamenti locum, nihil ei anteponitur, sed mavult homo rebus omnibus magis carere quam Christo. Secundo, quia multo minus de iisdem verum esse potest quod salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Et licet censeat Chrysostomus, idem esse salvum fore per ignem, ac nunquam in igne mori seu nunquam redigi in nihilum, sed semper manere superstitem sustinendo cruciatus aeternos, tamen interpretatio ista adeo violenta est, ut omnem superet credibilitatem. Nusquam enim salus sic accipitur, sive in Scripturis, sive in communi omnium hominum loquendi modo: « Vox illa *salvabitur*, salutem, auxilium, liberationem « a malis, et refrigerium et similia denotat, et bonum quid « significare intelligitur, atque ita accipitur, non autem ma« lum... Ecce verbum hoc *salvari* in bonam, non in malam su« mitur partem ». Ita Patres Latini in Concilio Florentino, collat. antesynod. de igne purgatorio. Denique, ille tantum dicitur per ignem salvari, qui igne ad tempus purgatur, ut inde integer exeat et veges.

Restat igitur una sola admissibilis interpretatio, de igne puniente in futura vita, eodemque transitorio, propter eos qui fundamento fidei vivae iuxtaposita habebunt lignum, foenum, et stipulam, id est venialium reatus peccatorum (1), secundum quod in tractatu de peccatis sat fuse declaratum est (2). Ita

(1) Nota quod in reatibus venialium, propter paritatem rationis oportet quoque intelligere remanentes reatus mortalium iam remissorum quoad formalitatem aversionis seu contrarietatis ad charitatem.

(2) Vide de natura et ratione peccati personalis, thes, 8.

nimirum ut totius sententiae apostolicae sensus sit: « In fu-
« turo saeculo atque in iudicio Dei examinanda opera eorum
« qui Christum in hac vita pro fundamento retinuerunt. Quae
« quidem opera si bona inventa fuerint, qualia significantur
« per aurum, argentum, et lapides pretiosos, non consumentur
« ab igne purgationis, sed permanebunt et sustinebunt iudi-
« cium Dei, et qui ea fecerint, mercedem pro illis accipient.
« Sin autem fuerint inventa mala, salvo interim fundamento,
« id est minuta ac venialia quae fundamentum non evertunt,
« cuiusmodi significantur per ligna, foenum, stipulam, detri-
« mentum illorum operum patietur qui ea fecerit. Ipse autem
« salvus erit tamquam per ignem quemdam purgationis et pu-
« nitionis divinae, qua videlicet, expurgatis sordibus et reli-
« quiis peccatorum, ipse tandem perfecte mundus et regno
« Dei idoneus inveniatur » (1).

Nec obstat quod Apostolus eum denuntiet diem qui alias consummatio saeculi et adventus gloriae D. N. I. C. appellatur, quasi hinc sequeretur nihil ibi esse connexionis cum purgatorio quod nunc est. Nam quantum ad diem illum ultimum qui in igne revelabitur, considerandum quod aliquid habebit ad praesentem vitam pertinens, et aliquid ad futuram. Ad praesentem vitam pertinebit conflagrationis ignis, secundum quod naturali sua virtute mortem afferet omnibus hominibus qui tunc vivi reperientur super terram. Et hoc modo ignis ille non probabit opera; hoc modo indifferenter aget et in bonos et in malos; hoc modo, sicut in incendio quopiam, alios citius forsitan interficiet, alios diutius exercebit, secundum diversam naturalium causarum applicationem contingentemve habitudinem; hoc denique modo, quidquid de illo dicitur nullum habet respectum ad nos, vel ad alios iam mortuos, aut ante mundi finem morituros. At vero, futuri saeculi erit idem ille conflagrationis ignis, quatenus statim post illatam omnibus vivis mortem corporalem, et ante generalem resurrectio-

(1) Estius in IV, 21, par. I.

nem quae renovationem caeli et terrae consequetur (2 Petr. III, 7-13), animas puniet purgabitque tamquam divinae iustitiae instrumentum; et hoc alio modo considerat hunc ignem Apostolus. Cum igitur in ordine ad divinam iustitiam alterius vitae, eadem omnium conditio sit, necesse est ut in igne qui ultimum iudicium antecessurus est, purgaturusque quidquid illo tempore adhuc purgandum remanebit, intelligatur quoque ignis aliquis iam nunc excipiens eos qui decedunt e praesenti vita cum ligno, foeno, vel stipula fundamento spirituali superimposita. Quippe Scriptura ista ad omnes indiscriminatim christianos evidenter dirigitur, quamquam, ut alias assolet, omnes transfiguret in persona eorum quos vivos inveniet, et quibus viae finem afferet ultimus mundi dies.

Hinc in Apostoli verbis purgatorium intelligit Cyprianus epist. 10 ad Antonianum, n. 20, ubi a statu martyrum in altera vita ita distinguit statum lapsorum qui nondum poenitentiam compleverunt: « Aliud est, inquit, statim fidei et vir-« tutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore « cruciatum emundari et purgari diu igne, aliud peccata « omnia passione purgasse ». — Item Hieronymus in Matth. III-12: « In praesenti, spiritu baptizamur, et in futuro, igne. « Apostolo quoque huic sensui congruente: Uniuscuiusque « opus quale sit, ignis probabit ». Et in Isai. LXVI: « Sicut « diaboli... credimus aeterna tormenta, sic... christianorum « quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, mo-« deratam arbitramur et mixtam clementiae sententiam iudi-« cis ». — Item Basilius l. de Spir. Sancto, c. 15: « Baptismum « ignis (Matth. III-11), probationem quae fiet in iudicio di-« cit, quemadmodum Apostolus ait: Uniuscuiusque opus quale « sit, ignis probabit, et rursus: Dies enim Domini declarabit « quod in igne patefit ». Cui consonat Nazianzenus, Orat. 39, n. 19, quemdam ignis baptismum in altero aevo commemorans, « qui postremus baptismus est, nec solum acerbior, sed et diu-« turnior, qui crassam materiam instar foeni depascitur, ac « omnis vitii levitatem absumit ». — Item Cyrill. Hieros. Ca-

tech. 15, n. 21: « Si quis aurea habeat opera, illustrior fiet; « si quis stipulae similem operationem habuerit, ab igne com- « buretur ». — Item Paulinus, epist. 28 ad Severum, n. 2: « Oremus, inquit, Dominum, ut doceat nos facere voluntates « suas, et spiritus eius bonus deducat nos in viam rectam, ne « labor noster inveniatur ligna, fenum, stipula, sed potius ar- « gentum, aurum, lapides pretiosi et vivi inveniamur in mu- « ris Ierusalem illius caelestis et liberae quae aedificatur ut « civitas... Haec est domus illa non manufacta, in qua si ha- « bitemus iis operibus quibus cives sanctorum fieri mereamur, « non ardebit opus nostrum, et ignis ille sapiens transeuntes « nos per examen suum, non severo ardore ambiet puniendos, « sed ut commendatos suscipiens blando lambet attactu ». — Item Augustinus Enarrat. in Psalm. 6, n. 3, et in Psalm. 37, n. 3, et in Psalm. 80, n. 20, et in Psalm. 103, n. 5, ubi sic dicit: « Si aedificaverit super fundamentum ligna, fenum, sti- « pulam, id est amores saeculares fundamento fidei suae su- « peraedificaverit; tamen si in fundamento sit Christus, ut « primum locum habeat in corde, et ei nihil omnino antepo- « natur... veniet caminus, incendet ligna, fenum, stipulam; « ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Hoc aget « caminus. Alios in sinistram separabit, alios in dexteram « quodammodo eliquabit ». — Item Gregorius Magnus, in pri- mum Psalmum poenitentialem, n. 1: « Quia post mortem car- « nis alii aeternis deputantur suppliciis, et alii ad vitam per « ignem transeunt purgationis, fidelis anima non solum furo- « rem timet, sed etiam iram abhorret, teste beato Augustino. « Hi omnes qui non posuerunt sibi fundamentum Christum, « in furore arguuntur, quia aeterno igne cruciantur. Qui au- « tem fundamento superposuerunt lignum, fenum, stipulam, « in ira corripiuntur, quia igne purgati, ad beatitudinis re- « quiem deducuntur ».

Accedit demum ad purgatorii dogma firmandum, prae- ter rationes theologicas per se obvias, consensus Graecorum cum Latinis, apostolicae traditionis indicium certissimum.

Qua in re caute accipiendum est quod scripsit S. Thomas in duobus opusculis de erroribus Graecorum, ubi Graecos ipsos traducere videtur tamquam purgatorium post mortem non admittentes. Vel enim unam aut alteram particularem eorum sectam intendebat, vel certe aequivocis deceptus est documentis. Caeterum, Graecos non modo antiquiores, sed et posteriores, ac schismaticos veritatem catholicam in hac re tenuisse, testantur acta Concilii Florentini tam in principio quam in conclusione, ut recte notavit Estius in IV, Dist. 21 2. Nam utrobique Graeci simpliciter confessi sunt purgatorium tamquam rem apud suos indubitatam, in hoc tantum a Latinis discrepantes, quod non verum ignem, sed obscuritatem seu turbinem seu quid aliud ibi esse dicerent, quodque sententiam Apostoli 1 Cor. III, Chrysostomum secuti, de inferno interpretarentur (1). Nullus ergo dissensus fuit quoad rei substantiam. Ne quid tamen obscuritatis remaneret, solemniter definitum fuit dogma in ipso primum Concilio Florentino, Graecis (ut dictum est) assentientibus, et postea in Tridentino contra novam haeresim Protestantium.

§ 3.

Superest ut satisfiat rationibus haereticorum, quas refert et solvit Estius loco supra citato § 4, ut sequitur.

Dicunt primo: *Apocal.* XVI-13, *audivit Ioannes vocem*

(1) In collatione antesynodali sic legitur: « Respondentibus « Graecis dixit Ephesius: Quaecumque dixistis, et sanctorum tes- « timonia quae recitastis, Graecorum ecclesia recipit et legit, parumque « inter nos hac in re differt. Caeterum responsionem nostram scri- « ptam dabimus. Et date nobis, inquit, scripturam, ut ad singula » capita respondeamus, et quomodo a Graecis intelligatur et quaenam « est differentia... Est igitur haec differentia. Graeci enim poenam, « moerorem, et poenae locum asserunt, sed non per ignem. Itali « vero poenam purgationemque per ignem ». — Et in collatione « ultima: « Haec fuere quae de purgatorio prodita sunt, diebus certis « ad invicem discussa, et Graeci cum Latinis Patribus in hanc « cedulam convenere: *Si vere poenitentes in Dei caritate decesserint « antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et « omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari*, etc. ».

de coelo dicentem sibi: Scribe: beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis. Quotquot igitur moriuntur in Domino, statim post mortem a laboribus requiescunt. Sed hoc rerum non esset si quibusdam eorum adhuc essent subeundi gravissimi cruciatus purgatorii. — Respondeo, requiem quidem repromitti statim et sine dilatione, sed secundum merita « operum quae sequuntur illos », ut in auctoritate allata additur. Subintelligitur ergo quaedam apposita conditio: si opera adhuc luenda non supersint. Quamquam et de mortuis qui in purgatorio sunt, quadantenus iam verificetur quod requiescunt, idque propter omnimodam securitatem accipiendae aliquando mercedis aeternae, tum etiam propter cessationem periculosae aleae cum qua contra carnem et diabolum hic decertabant, tum denique propter inamissibilem atque inviolabilem perfectionem charitatis quae eos in ordinis tranquillitate iam constituit. Unde in canone missae dicuntur quiescentes in Christo ac dormientes in sommo pacis, et tamen adhuc pro eis locus refrigerii, lucis, et pacis imploratur.

Dicunt secundo: *Si ceciderit lignum ad austrum aut aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, inquit Ecclesiastes* XI-3. *Ergo praeter caelum et infernum non est locus medius in quo homo moriens ad tempus recipiatur.* — Respondeo, sensum huius Scripturae esse, quod homo in morte consequitur statum immutabilem de bonitate in malitiam, aut de malitia in bonitatem, estque vel confirmatus in bono quod significatur per austrum, vel obstinatus in malo quod significatur per aquilonem. Porro animae purgatorii revera sunt in statu immutabili bonitatis, tametsi adhuc impediatur ultima eius consummatio quae est per beatitudinem, ut supra ex Caietano in tertiam partem, Q. 59, a. 5, notatum est.

Tertio opponunt *varias Patrum sententiaes in quibus dicitur: Non esse locum satisfactioni post mortem; esse quidem locum poenae, sed non emendationi; in hac vita tantum praescriptum esse tempus poenitentiae et remissionis. Qualem*

unumquemque dies mortis invenerit, talem iudicandum esse in die novissimo. Non inveniri in Scripturis locum medium inter regnum caelorum et gehennam. Nos non esse hic sine peccato, sed hinc exituros sine peccato, etc. — Verum haec nihil efficiunt, paetereaque nihil. Priores enim sententiae loquuntur de poenitentia et emendatione qua quis ad Deum convertitur, de remissione mortalium quoad culpam, de spontaneis ac liberis satisfactionibus per quas graviores poenae vitae futurae redimuntur. Altera inculcat cessare meritum vel demeritum post mortem, adeoque gradum gloriae unicuique retribuendum determinari immobiliter in ultimo instanti viae, quidquid sit an retributionem ipsam praecedere debeant, necne, poenae purgatoriae. Locus item medius reiicitur sensu Pelagianorum, qui parvulis non baptizatis concedebant vitam aeternam extra regnum Dei. Denique ubi dicit Augustinus, iustos non esse hic sine peccato, sed hinc exituros sine peccato, significat impossibilitatem qua nunc tenemur vitandi omnia venialia, eamque opponit futurae immunitati a quocumque peccati actu; quae quidem immunitas in purgatorio etiam habetur, ut in tractatu de peccatis videre est, thes. 9 in corollario.

Quarto sic ratiocinantur: *Non est in futura vita temporarius paradisus pro bonis operibus quae egerunt damnati. Ergo nec temporarium purgatorium pro malis operibus quae fecerunt electi.* — Sed neganda est paritas et consequentia. Primo, quia peccatum per seipsum poenam meretur, quin ad hoc opus sit aliqua ordinatione speciali. At bona opera non sunt meritoria nisi praesupposita ordinatione qua a Deo ordinantur ad mercedem in altera vita; cuiusmodi ordinatio non est, neque pro operibus mere naturalibus, neque etiam pro supernaturalibus si mortua fuerint, aut mortificata. Secundo, quia mortale peccatum contrarietatem habet ad omnem retributionem futuri saeculi, et ideo in anima damnata absolute perimit omnia bona quae egit. At charitas non habet contrarietatem neque ad omnem peccati reatum, neque praesertim

ad poenam quae sit praeparatoria ad ingressum gloriae. Unde S. Thomas in IV, D. 21, Q. 1, a. 1: « Ille qui in peccatum « mortale incidit, omnia bona anteacta mortificat; et quae in « peccato mortali exsistens facit, mortua sunt, quia ipse Deum « offendens omnia bona meretur amittere quae a Deo habet. « Unde ei qui in peccato mortali decedit, non manet aliquod « praemium post hanc vitam, sicut manet aliquando poena ei « qui in charitate decedit, quae non semper delet omne malum « quod invenit, sed solum hoc quod est sibi contrarium ».

Ultimo opponunt quod in die extremi iudicii, Matth. XXV, 46, omnes statim vel recipientur in regno, vel mittentur in ignem aeternum, nulla exceptione facta pro iis qui vivi reperti fuerint, veniente temporum consummatione. Sed instantia ista solutionem habebit ex dicendis in propositione iam nunc declaranda, quae est ut sequitur.

THESIS VI.

Purgatorium non manet in perpetuum, nec indeterminatum habet suae durationis limitem, sed finem accipiet in resurrectione universali et iudicio extremo, abeuntibus aliis in supplicium aeternum, aliis autem in vitam aeternam.

Haeec est perpetua Ecclesiae fides, cuius egregium monumentum est in actis Concilii Florentini, ubi referuntur differentiae inter Graecos et Latinos circa purgatorium. Sic enim legitur in collatione antesynodali: « Itali (id est Latini), *et* « *in praesenti saeculo* ignem fatentur, purgationemque per « ignem; *et in futuro* ignem fatentur, non tamen purgatorium, « sed aeternum. Atque hoc tempore animas per ignem emun- « dari et liberari pro cuiusque peccatis, ita ut qui multa com- « misit delicta, longo purgatus tempore liberetur; qui vero « pauca, celerius absolvatur, opem etiam ferente, ut dictum « est, ecclesia; et omnes per ignem expiari. Itaque hunc ignem « Itali, et in praesenti ad tempus accipiunt, et in futuro sae- « culo aeternum, et eum qui nunc agit, purgatorium nominant.

« At vero Graeci *in futuro tantum* opinantur ignem; poenam-
« que animarum temporaneam, quod scilicet peccatis obnoxio-
« rum animae in locum abeant tenebricosum, in locum moero-
« ris, in quo ad tempus versentur in moerore et poenis, divino
« lumine privatae; purgentur vero, hoc est a loco illo obscuro
« et afflictione liberentur et absolvantur precibus et sacrifi-
« ciis sacerdotum, ac eleemosynis, non autem igne ». Ubi vides concordem Graecorum et Latinorum sententiam, etsi non quoad ignem, at certe quoad durationem purgatorii. In quo quidem manifestum per se est, quod *praesens* et *futurum* saeculum hoc sumuntur ut pro praesenti et futura vita, sed saeculum praesens idem est ac tempus quod nunc currit usque ad ultimum ac generale iudicium, saeculum vero futurum, idem ac aevum quod in iudicio ipso solemniter dedicabitur, et nullum habiturum est finem. Purgatorium ergo non fore nisi usque ad consummationem omnium in iudicio universali, rata fixaque utriusque ecclesiae sententia fuit, quoniam ex utraque parte tempus purgatorii dicitur tempus praesens, saeculum praesens, per oppositionem ad futurum ut supra.

Et re quidem vera, aperte nos edocet Scriptura, fore in iudicio ultimam omnium consummationem. Tres quippe consummationes commemorantur in Scripturis. Prima fuit quando *complerit Deus opus suum quod fecerat, et requierit die septimo ab universo opere quod patrarat*, et est intelligenda de consummatione operum naturae. Secunda fuit quando moriens Redemptor dixit: *consummatum est*, et intelligitur de consummatione operis gratiae, quia gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Tertia demum veniet in fine mundi, quando erit coelestis Ierusalem omni ex parte perfecta, et totum universum quod ad eam ordinatur ut ad finem, immobili ordine compositum. Et nunc quidem, quamdiu aevum praesens volvitur, praeciduntur de montibus lapides, coaptantur, conquadrantur ut intrent in structuram sempiternam. Nunc singulae partes singillatim praeparantur, et expoliuntur, et perpurgantur, quoniam muri civitatis iaspis et sapphirus et chal-

cedonius et smaragdus et sardonix et sardius et chrysolithus et beryllus et topazius et hyacinthus et amethystus. Denique non intrabit in eam aliquid coinquinatum. Nunc ergo multi absunt ab illa domo gloriae, ex iis tot et tantis qui in ea sunt cives decreti. E quorum numero,alii nondum fuerunt ad exsistentiam vocati, alii adhuc super terram versantur quasi in manibus artificis, alii demum accipiunt postremum ignis baptismum in vestibulo vitae aeternae. Tunc autem non ita, quia erit totius structura aedificii undequaque consummata, et domus aeterna dedicabitur, dicente Christo: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Et ibunt hi in vitam aeternam, mali autem in supplicium aeternum. Et non relinquetur locus medius inter gehennam et regnum, quia quidquid transitorium, quidquid viale (1), quidquid ex parte est, teste apostolo, in sempiternum evacuabitur .

Propterea faciem Christi iudicis *praecedet* ignis ille conflagrationis de quo 1 Cor. III-13, et 2 Petr. III, 10-13. Praecedet (2), inquam, ad purgandum omnia quae in mundo purgatione indigebunt, ut universali hac purgatione peracta, fiat renovatio coeli et terrae, resurrectio mortuorum, ac deinde iudicium generale. Nec omnino quaerendum quomodo evenire poterit ut omnes illi iusti quibus viae terminum afferet dies

(1) Nota quod animae in purgatorio, etsi simpliciter in statu termini, adhuc tamen sunt in via secundum quid. « Dicendum quod « quamvis animae post mortem non sint simpliciter in statu viae, « tamen quantum ad aliquid adhuc sunt in via, in quantum scilicet « earum progressus adhuc retardatur ab ultima retributione. Et « ideo simpliciter earum via est circumsepta, ut non possint ul- « terius per aliqua opera transmutari secundum statum felicitatis « et miseriae. Sed quantum ad hoc non est circumsepta, quin quantum « ad hoc quod detinentur ab ultima retributione, possint ab aliis « iuvari, quia secundum hoc adhuc sunt in via ». Ita S. Thomas, Suppl. Q. 71, a. 2 ad 3. um.

(2) « Dicendum quod illa conflagratio quantum ad sui initium « iudicium praecedet. Quod ex hoc manifeste colligi potest, quod « mortuorum resurrectio iudicium praecedit... Simul autem erit « resurrectio communis, et corporum sanctorum glorificatio.. Simul

Domini, tam cito purgentur: tum quia occultum nobis est, quantum futurum sit intervallum inter conflagrationis initium et resurrectionis ac iudicii tempus; tum praesertim quia hoc habet ordo iustitiae, ut quod diuturnitati deest, gravitate seu intensitate poenae compensetur.

Concludendum itaque superest cum Augustino l. 21 de civit. c. 13: « Temporarias poenas alii in hac vita tantum, alii « post mortem, alii et nunc et tunc, veruntamen ante iudicium « illud severissimum novissimumque patiuntur ». Et infra, c. 16: « Quisquis igitur cupit poenas evadere sempiternas, non « solum baptizetur, verum etiam iustificetur in Christo, ac sic « vere transeat a diabolo ad Christum. Purgatorias autem poe- « nas nullas futuras opinetur, nisi ante illud ultimum tre- « mendumque iudicium ».

« autem cum corpora sanctorum glorificabuntur, etiam tota creatura « suo modo renovabitur, ut patet per illud quod dicitur Rom. VIII 21, « quod *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem « gloriae filiorum Dei*. Cum ergo conflagratio mundi sit dispositio « ad renovationem praedictam, manifeste potest colligi quod ista « conflagratio quoad purgationem mundi iudicium praecedet. Sed « quoad aliquem actum, qui scilicet est involvere malos, iudicium « sequetur ». Suppl. Q. 74, a. 7.

THESIS VII.

Poena purgatorii est duplex, nimirum poena dilationis gloriae, et poena sensus. Proportionatur in diuturnitate et acerbitate quantitati remanentium reatuum, sed correspondentibus huius vitae poenis semper est gravior. Intolerabilis tamen error esset, in Luthero iam dudum damnatus, si quis diceret purgantes animas adhuc peccare, aut de sua salute certas et securas non esse.

Primam purgatorii poenam esse dilationem visionis beatificae, clarum esse puto omnibus qui vel solos intelligunt terminos. Animas enim purgantes non admitti ad Dei visionem, evidentius est quam ut probatione indigeat. Insuper, dilationem ipsius visionis habere rationem poenae, ex quo praesertim propalata est sanctorum via per sanguinem Christi, facile apparebit cuilibet consideranti poenam esse carentiam omnis boni quod natum est haberi, et quando deberet haberi. Quas omnes conditiones in casu concurrere, per se apertum est.

Sed dilatio gloriae non est sola purgatorii poena. Primo quia alias, in antiquo foedere purgatorium non fuisset distinctum a sinu Abrahae seu limbo patrum. Secundo quia in purgatorio expiatur inordinata creaturae fruitio, quae quidem indebita fruitio ea debet poena puniri, quam sensus poenam vocant theologi. Tertio quia hac in re constans est et perquam evidens totius Ecclesiae persuasio, ne dissentientibus quidem Graecis in Florentino, qui fatebantur moerorem, afflictionem, seu tormentum positivum undecumque tandem proveniens.

Solum igitur quaestio superesse potest, an instrumentum poenae ibi sit ignis corporeus, non secus ac in inferno. Et sic non est tanta certitudo, sed sententiam probabilissimam esse dicit Bellarminus l. 2 de purgat. c. 11. Nititur autem haec sententia testimonio Apostoli: *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, id est, sicut salvus efficitur qui prius per ignem purgationis transire debet: quem quidem ignem, cum ille ipse sit in quo revelabitur dies Domini, corporeum et materia con-

stantem oportet accipere. Nititur praeterea dictis Patrum, praesertim Augustini et Gregorii, necnon et consensui scholasticorum qui non potest nisi temere contemni. In omni autem modo animadvertes separatam esse causam ignis purgatorii et ignis inferni, et si qua sit incertitudo quoad primum, nonnisi immerito extendi ad secundum. Unde non est ad rem consideratio qua utitur Vasquez in primam partem, Disp. 243, c. 1, ubi cum praemisisset non fuisse adhuc expresse definitum ab Ecclesia quod ignis inferni corporeus sit, addit confirmationis gratia: « Imo cum Graeci in Concilio Florentino « asserrent ignem purgatorii non esse verum ac corporeum « ignem, in sessione ultima in definitione fidei, ubi multa con- « tra ipsos definiuntur, nihil de igne purgatorii dicitur ». Atqui Graeci explicite confitebantur verum ac corporeum ignem inferni, et ignem purgatorii ideo praecise negabant, quia locum Apostoli quem nos tamquam de purgatorio dictum accipimus, ipsi intelligebant de inferno. Ex hoc igitur quod Concilium, in re inter Graecos et Latinos tunc controversa, ab omni definitione abstinere voluit, nullum argumentum accipere licet, quo veritas ignis infernalis tot Scripturae auctoritatibus inculcata, quacumque tandem ratione aut labefactetur aut diminuatur.

§ 2.

De gravitate autem poenarum purgatorii notissima sunt loca Augustini, Enarr. in Ps. 37, n. 3, et Gregorii Magni in Psalm. 3 poenitentialem, n. 1. Orat Augustinus Deum, optans in hac vita purgari, et talis reddi cui iam emendatorio igne opus non sit, propter eos qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. « Et quia, inquit, dicitur, *salvus erit*, contemnitur ille « ignis. Ita plane, quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit « ille ignis quam quidquid potest homo pati in hac vita. Et « nostis quanta hic passi sunt mali, et possunt pati; tamen « tanta passi sunt, quanta potuerunt pati et boni. Quid enim « quisque maleficus, latro, adulter, sceleratus, sacrilegus per-

« tulit legibus, quod non pertulit martyr in confessione Chri-
« sti? Ista ergo quae hic sunt mala, multo faciliora sunt ».
Augustino consonat Gregorius dicens: « Scio futurum esse ut
« post hujus vitae exitum alii flammis expientur purgatoriis,
« alii sententiam aeternae subeant damnationis. Sed quia il-
« lum transitorium ignem omni tribulatione praesenti aestimo
« intolerabiliorem, non solum in furore aeternae damnationis
« opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptio-
« ne purgari ».

Porro, utriusque assertionem sensu duriori retinuisse videtur S. Thomas in IV, D. 21, Q. 1, a. 1, sic dicens: « In pur-
« gatorio erit duplex poena: una damni, in quantum scilicet
« retardantur a divina visione: alia sensus, secundum quod
« ab igne corporali punientur. Et quantum ad utrumque, *poe-*
« *na purgatorii minima excedit maximam poenam huius vitae.*
« Quanto enim aliquid magis desideratur, tanto eius absentia
« est molestior. Et quia affectus quo desideratur summum bo-
« num post hanc vitam, in animabus sanctis est intensissimus,
« quia non retardatur affectus mole corporis, et etiam quia
« terminus fruendi summo bono iam advenisset, nisi aliquid
« impediret: ideo de retardatione maxime dolent. Similiter
« etiam cum dolor non sit laesio, sed laesionis sensus, tanto
« aliquid magis dolet de aliquo laesivo, quanto magis est sen-
« sitivum. Unde laesiones quae fiunt in locis maxime sensibi-
« libus, sunt maximum dolorem causantes. Et quia totus sen-
« sus corporis est ab anima, ideo si in ipsam animam aliquid
« laesivum agat, de necessitate oportet quod maxime affliga-
« tur... Et ideo oportet quod poena purgatorii, quantum ad
« poenam damni et sensus, excedat omnem poenam huius
« vitae ».

Sed haec difficultatem non minimam habent. Nam primo, quantum ad poenam damni in purgatorio, omnino valere videntur ea quae post S. Bonaventuram ait Bellarminus l. 2 de Purg. c. 14, observans quod etsi absentia summi boni ex se generet in amante summam tristitiam, tamen mitigatur

haec tristitia, et levatur magna ex parte propter certam spem illius boni acquirendi. Ista enim certissima spes affert incredibile gaudium, et quo magis appropinquat finis illius exsilii, tanto magis gaudium crescit. Unde etiam alibi notatum est quod dilatio gloriae in purgatorio non habet simpliciter rationem poenae damni, quandoquidem anima ibi possidet gloriam in radice praedestinationis gratiae, et in exspectatione quam scit absolute certam atque infrustrabilem (1). Quod autem attinet ad poenam sensus, considerandum occurrit quod haec poena in anima separata nonnisi analogice dicitur cum sensibilibus poenis quas hinc experimur, et quod ignis affligens non agit ex virtute suae naturae, sed tantum ut instrumentum divinae iustitiae quae attemperat plagarum modos secundum mensuram delictorum. Et ideo a S. Paulino ubi supra, vocatur *ignis ille sapiens*. Licet igitur sit terribilis quaedam iudicii exspectatio, ac vera quaedam infernalis ignis aemulatio pro animabus illis quae in purgatorio poenas mortalium peccatorum, praesertim numero et pondere maxime praevalentium, luere debent, incredibile tamen videretur, propter paucos reatus venialium pati delere aliquem supplicia graviora omnibus poenis huius mundi; quod utique consequens esset si minima purgatorii poena excederet maximam poenam praesentis vitae.

Melius ergo, ut videtur, S. Bonaventura in IV, D. 20, Part. 1, a. 1, q. 2: « Dicendum, inquit, quod poena purgato-« ria gravior est omni temporali poena quam modo sustinet « anima carni coniuncta... Sane tamen hoc intelligendum, ut « generaliter poena illa sit maior ista secundum regulam Phi-« losophi: *si optimum in uno genere est melius optimo in alio « genere, et hoc simpliciter illo melius.* Similiter intelligen-« dum est hic, quod illa (poena) sit maior, non quia minima « sit maior maxima in hoc genere, sed quia maxima in *illo* ge-« nere maior sit maxima in *hoc* genere ». Et hoc est quod in thesi significare placuit dicendo, poenas purgatorii correspondentibus huius vitae poenis semper esse graviores: pro quanto

(1) De peccatis, Q. 87.

scilicet satisfactiones praesentes multo sunt leviores illis poenis quae pro iisdem reatibus in futuro taxantur. Et in hoc sensu ratio assertionis satis evidens est, quia futurum saeculum est saeculum iudicii, retributionis, et vindictae pro malis commissis; saeculum autem praesens est misericordiae et remissionis. Item poena hic voluntarie ac libere suscepta multo plus purgat quam poena post mortem de necessitate sustinenda. Denique huc pertinet parabola evangelica, Luc. XII-58: *Cum vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem, et iudex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde donec etiam novissimum minutum reddas.* Quo in loco via est vita praesens: princeps est Deus ad quem imus; iudex est Christus cui Pater omne iudicium dedit; adversarius vero sunt lex divina et propria conscientia, quae testes erunt contra nos in iudicio. Monemur ergo componere nunc cum eis, quando facile impetramus remissionem poenae peccatis nostris debitae, et non exspectare saeculum futurum in quo severissime agetur (1).

§ 3.

Ergo in purgatorio sunt dolores indicibiles, et sensu explicato, aerumnae graviores quam illae sint praesentis vitae. Ibi sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis. Ibi de profundis abyssi gemitus dicentium: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Et rursum: *Fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus.* Et iterum: *Tribulationem et dolorem inveni... Circumdederunt me mala quorum non est numerus, et cor meum dereliquit me.* Et rursus: *Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Domini?* Verumtamen, uti supra pluries praemissum est, ibi quoque spes omni iam ex parte certissima. Ibi et charitas confirmata, eaque non modo inamissibilis, verum etiam cunctos animae mo-

(1) Vide Bellarminum, l. 1 de Purg., c. 7.

tus atque affectus indeclinabili necessitate sub suo continens imperio. Unde in bulla Leonis X *Exurge Domine*, damnatae inveniuntur duae sequentes propositiones Lutheri: « Animae « in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem « omnes ». Et: « Animae in purgatorio peccant sine intermis « sione, quamdiu quaerunt requiem et horrent poenas » (1).

Et impeccabilitas quidem purgantium animarum colligitur ex dictis ab initio, de morte termino viae. Cecidit enim arbor, et non ad boream cecidit, sed ad austrum, quod in bonam partem in Scripturis accipitur. Ideo liberum arbitrium in vero fine ultimo Deo est immobiliter firmatum, et exhinc sequitur impossibilitas peccandi mortaliter. Insuper, subtrahitur ex natura rei in altera vita, omnis causa et radix quae apud nos possibiles facit actus irreferibiles ad supremum illum finem cui habituali affectu mens coniungitur; et hinc sequitur ulterius impossibilitas peccandi venialiter (2). Proinde, sicut in inferno nulla et in nullo moralis rectitudo, sic e converso in purgatorio nulla et in nullo moralis deordinatio. Ad quorum confirmationem valet quoque id quod docet Augustinus l. de praedest. Ss. c. 14, ubi relatis prius Cypriani testimoniis: « His, inquit, atque huiusmodi doctor ille sententiis in catho- « licae fidei luce clarissima, satis aperteque testatur, usque ad « huius corporis depositionem peccandi pericula tentationes- « que metuendas; deinceps nulla talia quemquam (iustorum) « esse passurum. Quod etsi non testaretur, quando de hac re « christianus qualiscumque dubitaret? ».

Est igitur pro omnibus animabus purgantibus, utpote quae certamen et cursum suum consummarunt, ab omni in posterum periculo labendi securae, immobiliter constituta merces vitae aeternae. At quaestio superesse posset utrum de hac sua conditione certam habeant cognitionem. Fuerunt enim qui-

(1) Enchirid., n. 772-663.

(2) Vide quae diximus in disquisitione de peccatis, Coroll. thes. 9, § 1 in nota. Vide etiam Bellarminum, l. 2 de Purgat., c. 3, ubi Lutheri rationes solvit.

dam veteres qui considerantes poenas purgatorii esse alias aliis graviores, poenam omnium maximam posuerunt incertitudinem salutis, qua iusto Dei iudicio animae nonnullae affliguntur: quatenus scilicet, etsi revera certo salvandae, interim tamen in tantis tenebris versantur, et poenis suis adeo absorbentur, ut non intelligant se purgari, sed aeternae damnationi addictas se putent, aut saltem reformident. Et hanc opinionem initio suae defectionis, quando purgatorii fidem nondum totaliter abiecerat, Lutherus secutus est, aggravando eam novis erroribus, ut in propositionibus eius videre est.

Sed opinio ista omnino non stat. Nam si animae illae omnes certitudinem suae salutis non haberent, id esset propter unam e tribus sequentibus causis: vel quia nondum essent iudicatae, vel quia eas latuisset sententia iudicis, vel quia propter magnitudinem dolorum, omnis in eis cognitio foret obscurata et in sensu poenae veluti absorpta. Atqui nihil horum habet locum. Non primum, ut constat ex dictis de iudicio particulari. Non secundum, quia sententia Dei circa unumquemque est ipsamet decreti eius manifestatio, qua cuique sua retributio innotescit. Non denique tertium, quia quod in hoc mundo ex intensione dolorum impediantur homines a iudicio recto, provenit ex laesione organi corporei vel aliqua causa analoga, quae procul dubio in animabus separatis nequaquam esse potest (1).

Praeterea animae illae illuminatae sunt lumine fidei, et consciunt se Deo inhaerere per charitatem, se in suis poenis toto corde consentire iustitiae Dei, se in ordine moralis rectitudinis esse radicatas et firmatas. Sciunt quoque quod haec omnia post hanc vitam in solis salvandis esse possunt. Sciunt quod in inferno vermis est qui non moritur, et quod ibi anima, nedum melioretur, desperatione, blasphemia, et odio sempiterno consumitur. Qua igitur ratione adhuc possibilis esset incertitudo de salute, et a fortiori existimatio de statu damnationis?

(1) Cf. Bellarm., de Purg., l. 1. c. 4.

Hinc concludit S. Bonaventura in IV, D. 20, Part. 1, a. 1, q. 4, certitudinem aeternae gloriae in purgatorio mediam esse inter certitudinem viae et patriae: « In patria enim est « certitudo tentionis, evacuans exspectationem et timorem. In « via vero est certitudo expectationis immixta timori, quia « quilibet potest labi dum est viator. In purgatorio est medio « modo, scilicet certitudo expectationis eorum quae nondum « obtinuit; sed est evacuatio timoris propter confirmationem « liberi arbitrii, qua deinceps scit se peccare non posse. Et sic « patet quod est maior certitudo, dum evacuatur timor de la- « psu; et illa evacuatio non est per animae maiorem perfectio- « nem, sed per status mutationem ».

Ultimo tandem animadvertes, nihil contra hactenus dicta concludi posse ex liturgia defunctorum, puta ex offertorio missae: *Domine Iesu Christe rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus*, etc.; neque ex aliis precibus, ubi in persona defuncti sic orat Ecclesia: *Dum veneris iudicare, noli me condemnare*, vel: *Ne recorderis peccata mea, Domine, dum veneris iudicare saeculum per ignem*, et rursum: *Libera me, Domine, de morte aeterna in die illa tremenda, quando caeli movendi sunt et terra*: quasi nimirum animae fidelium nondum evasissent periculum damnationis, et sors earum adhuc esset in ancipiti. Etenim, praeterquam quod nomine inferni, tartari, etc., significatur etiam purgatorium, ut norunt omnes, sciendum est Ecclesiam sic orare pro defunctis, ut simul consulat eruditioni viventium. Et ideo, modo nobis repraesentat tremendum instans mortis a quo pendet aeternitas, modo iudicium illud extremum in quo iudicii particularis sententia solemniter confirmabitur. Nam sicut celebrat nativitatem, passionem, et resurrectionem Salvatoris, non secus ac si nunc Christus nasceretur, pateretur, et resurgeret, sic etiam defunctos commemorat quasi adhuc essent in termino illo viae in quo sors aeterna deciditur, vel e contra quasi terminus iste transferretur usque

ad diem irae, diem calamitatis et miseriae, quae solvet saeculum in favilla, teste David cum Sibylla. Caeterum, dum pro defunctis in Christo, pro dormientibus in somno pacis, pro iis qui nos praecesserunt cum signo fidei, petit liberationem a condemnatione et morte aeterna, semper implorat pro eis ingressum vitae aeternae per liberationem a solo purgatorio, quamvis per figuram sermonis transferat cogitationem nostram ad instans extremi iudicii, quando inter gehennam et regnum nihil erit medium. Et in summa, sensus omnium orationum elucet in clausula illa finali, qua solent concludi supplicationes pro mortuis: *Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis!*

Quaestio V.

DE PARADISO

Deinde considerandum est de paradiso secundum quod competit animabus separatis usque ad resurrectionis diem. Et circa hoc quaeruntur duo. Primo, an animae sanctorum iam nunc potiantur visione Dei. Secundo, quae et quanta sit earum beatitudo, sive quoad substantiam, sive quoad accidentalia. Et quoad primum conclusio est ut sequitur.

THESIS VIII.

Secundum fidem a Benedicto XII primum definitam, et a Concilio Florentino in decreto unionis Graecorum iterum confirmatam, credendum est quod a tempore consummati Novi Testamenti per mortem Christi, iustorum animae quibus nihil luendum tunc supererat vel nunc superest, statim admissae sunt et admittuntur ad claram visionem ipsius Dei unius et trini sicuti est, suntque ante iudicium universale ex tali visione vere beatae, habentes vitam et requiem aeternam.

De animabus iustorum ante iudicium universale non concors fuit veterum Patrum sententia. Illi enim omnes qui auctoritate Papiae decepti, fabulam illam admiserunt mille annorum regni Christi Domini cum sanctis resuscitatis in reaedificata urbe Ierusalem, communiter quoque senserunt visionem beatificam differi usque ad extremi iudicii tempus post completos praedictos mille annos. Huius sententiae inter Latinos fuerunt Tertullianus, Victorinus, Lactantius, ut refert Hieronymus in prologo l. 18 in Isaiam: inter Graecos vero, maxime Irenaeus, qui animarum sanctarum tres veluti stationes distinguit. Primam in loco quodam invisibili ubi eas detineri existimat donec veniat resurrectio prima, in qua secundum opinionem istam soli iusti habebunt partem (1). Alteram post resurrectionem praedictam, in terrena Ierusalem instaurata et renovata, ubi sub imperio et gubernatione Christi, in summa quiete ac secundarum rerum affluentia degentes, crescentesque ex visione humanitatis Domini, per ipsum assue-

(1) « Cum Dominus in medio umbrae mortis abierit, ubi animae « mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexit, et post resur- « rectionem assumptus est, manifestum est quia et discipulorum eius « animae abibunt in invisibilem locum definitum eis a Deo, et ibi « usque ad resurrectionem commorabuntur. Post recipientes corpora, « et perfecte resurgentes, hoc est corporaliter, quemadmodum et « Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum Dei ». Iren. l. 5, c. 31.

scent capere gloriam Dei Patris (1). Tertiam demum, post iudicium, in regno caelorum in quo ipsius divinitatis conspectu aeternaliter fruentur (2).

Huic certe sententiae, quae particularis quorumdam persuasio erat, alii penitus contradicebant, prout videre est apud Irenaeum ipsum l. 5, c. 31, et apud Iustinum in dialogo cum Tryphone n. 80, et apud alios infra afferendos. Verumtamen tantorum virorum auctoritas causa fuit cuiusdam fluctuationis quae insequentibus saeculis, quoad dilationem gloriae usque in iudicii diem, nonnulla vestigia reliquit. Cum autem in medio aevo sub Ioanne XXII, propter privatam huius Pontificis opinionem, acriter de hac re disputatum esset, omni demum controversiae finem attulit decretalis Benedicti XII, qui Ioanni proximus successerat: « Sane dudum tempore Ioannis XXII « praedecessoris nostri, inter nonnullos etiam theologicae fa- « cultatis magistros, super visione animarum iustorum homi- « num post mortem suam, in quibus nihil erat purgabile cum « de hoc saeculo decesserunt, vel si fuerat, iam purgatum fue- « rat ex toto, an divinam essentiam videant ante corporum suo- « rum resumptionem et iudicium generale... orta materia quae- « stionis, ipsorum aliqui negativam, aliqui affirmativam osten- « dere nitebantur... Cumque idem praedecessor noster ad quem « praedictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concer- « tationum huiusmodi se pararet in suo consistorio publico, « tam fratribus suis S. R. E. cardinalibus, quam praelatis et « magistris in theologia iniungendo districtius et mandan-

(1) Ibid. cc. 32-35

(2) « Et quemadmodum presbyteri dicunt, tunc (post iudicium) « qui digni fuerint coelorum conversatione, illuc transibunt, id est in « coelos... : ubique autem Deus videbitur, et quemadmodum digni, « erunt videntes eum ». Ibid. c. 36, n. 1. Tum n. 3: « Diligenter « ergo Ioannes praevidit primam iustorum resurrectionem, et in « regno terrae haereditatem... Et in omnibus iis idem Deus Pater « ostenditur, qui haereditatem terrae promisit patribus, qui eduxit « (creaturam a servitute corruptelae) in resurrectione iustorum, et « promissiones adimplet in Filii sui regnum, postea praestans illa « paternaliter quae neque oculus vidit, neque... etc. ».

« do ut super materia de visione praedicta, quando requi-
« rerentur ab eo, deliberate unusquisque diceret quod sen-
« tiret, tamen morte praeventus, sicut Domino placuit, perfi-
« cere illud nequivit (1). Defuncto itaque praedecessore praefa-
« to, nos divina dignatione ad apicem summi apostolatus as-
« sumpti... definimus: Quod animae sanctorum omnium... (in
« quibus nihil purgabile fuit quando decesserunt, nec erit
« quando decedent etiam in futurum, vel si tunc fuerit ali-
« quid purgabile in eisdem, cum post mortem suam fuerint
« purgatae)... etiam ante resumptionem suorum corporum et
« iudicium generale, *post ascensionem Salvatoris D. N. I. C.*,
« *fuerunt, sunt, et erunt in coelo...*, *ac post Domini Iesu Christi*
« *passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam*
« *visione intuitiva...* Quodque postquam inchoata fuerit vel erit
« talis intuitiva ac facialis visio et fruitio..., sine aliqua inter-
« cessione seu evacuatione, continuata exstitit et continuabitur
« usque ad finale iudicium, et ex tunc usque in sempiternum ».
Haec quidem definitio fidei, quam summus deinceps inter catholicos consensus subsecutus est. Sed saeculo XVI errorem renovarunt Protestantes, post Lutherum et Calvinum asserentes, solum Christum ingressum esse sanctuarium coeli, reliquos vero omnes residere in atrio, ibique cum felici laetitia fruitionem promissae gloriae exspectare. Iam ergo videndum est, quibus Scripturarum testimoniis dogma catholicum firmetur.

In primis ad rem faciunt omnia loca in quibus dicitur Christus ad inferos primum descendens, et in coelum deinde ascendens, liberasse animas patrum, secundum quod futurum praedixerat Zacharias IX-12: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.*

Et primus locus est in verbis Christi ad latronem: *Hodie mecum eris in paradiso.* Nam paradisus tripliciter accipitur: pro loco voluptatis in quo Adam innocens positus est, pro loco caelesti qui est destinata sedes beatorum, denique pro paradi-

(1) Hinc vides quae fides iis adhibenda sit, qui dixerunt Ioannem XXII aliquid in hac parte definivisse, seu ex cathedra docuisse.

so spirituali in quo esse dicuntur quicumque divina gloria perfruuntur. Et de isto paradiso intelligendum est quod Dominus latroni dixit, pro quanto scilicet in ipso loco inferni fuit paradisus statim post consummatam redemptionem, dum descendente anima Christi ad inferos, omnes animae quae in limbo patrum erant, luce gloriae illustratae sunt, et ad beatificam visionem admissae.

Alius locus est Ephes. IV-8, ubi ostenditur Christus *ascendens in altum, captivam duxisse captivitatem*, quatenus scilicet « eos qui fuerant a diabolo captivati, secum duxit in coe- « lum quasi in locum peregrinum humanae naturae, bona ca- « ptione captivos, utpote per victoriam acquisitos » (1). Quis autem in hac gloriosa eductione solam et nudam mutationem loci intelliget, cuiusmodi fuisset si in animabus quas ut trophaeum victoriae secum trahebat Redemptor, adhuc permansisset poena dilationis gloriae quae propria et potissima erat inferorum poena? Hinc Apostolus, Heb. IX-8: *Hoc significante Spiritu Sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.* Quibus verbis significavit differentiam inter tempus Veteris et Novi Testamenti, pro quanto per Christum assistentem pontificem futurorum bonorum, sanguine effuso in cruce, aperta fuit via ad vera sancta sanctorum, id est ad visionem Dei seu vitam aeternam, in qua, etiam iustissimi quique durante statu tabernaculi veteris, non poterant introire.

Eamdem quoque veritatem demonstrant verba apostoli, 2 Cor. V. 1-8, ubi postquam commemorasset naturale desiderium quod habemus non deponendi corpus, subdit: *Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, et non per speciem: audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.* Videlicet: Ut simus praesentes ad Dominum, et non amplius per fidem ambulemus, sed facie ad faciem Deum videamus, (quem-

(1) S. Thom. 3ª Part. Q. 57, a. 6.

admodum enim ex collatione praesentis loci cum 1 Cor. XIII-12 facile constat, idem est apud apostolum videre διὰ εἴδους, *per speciem*, seu quoad propriam naturam quam specificam vocant, et videre facie ad faciem, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον): ut, inquam, per speciem, seu facie ad faciem Deum videamus, optamus et desideramus separari a corpore, desiderio utique gratiae, quo naturae inclinatio superatur. At frustra sane haec dicerentur, si ad visïonem Dei non perveniretur nisi in iudicio universali post corporum resurrectionem. Sic enim, non in separatione a corpore, sed in corporis resumptione consequeremur eximium illud bonum, neque ad eius consecutionem quidquam compendii nobis nunc afferret dissolutio terrestris domus huius nostrae habitationis. Statim igitur ac anima sancta a corpore separatur, patet accessus ad visionem in qua beatitudinis essentia consistit (1).

Hoc idem iterum confirmant verba eiusdem apostoli, Philip. I-23: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.* Et esse, inquit, cum Christo, eo utique modo quem Christus ipse in ultima coena, Ioan. XVIII-24, expresserat dicens: *Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum,* per consortium gloriae in regno Patris; esse cum Christo, in eadem nimirum beatitudine animae, sicut post resurrectionem, sancti omnes erunt cum eo in eadem beatitudine tam animae quam corporis, iuxta illud I Thess. IV-16: *et sic semper cum Domino erimus.* Sperabat igitur apostolus, statim post dissolutionem corporis se perventurum ad vitam aeternam quae in clara visione Dei consistit. Hinc tandem, Heb. XII-22 dicitur: *Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Ierusalem coelestem, et multorum angelorum frequentiam, et ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in coelis...., et spiritus iustorum perfectorum.* Ubi, inquit Estius, describitur ecclesia non post resurrectionem triumphatura, sed nunc triumphans in caelis, et eodem ordine censentur in illo regno spiritus iustorum cum angelis,

(1) Cf. S. Thom. 1-2, Q. 4, a. 5 in corp., et Estium in IV, Dist. 45, par. 2.

qui ipso Christo attestante, semper vident faciem Patris. Participant ergo utique eamdem beatitudinem.

Quapropter, semper haec fuit persuasio in Ecclesia Dei, quod vigente iam Testamento Novo, beatae sunt animae quibus luendum nihil superest; beatae, inquam, non modo in spe, sed omnino in re, actu iam obtinentes illud in quo beatitudo consistit essentialiter, id est, visionem Dei. Pulchre Nazianzenus, Orat. 8 in laudem sororis suae Gorgoniae, n. 23: « Equi- « dem non dubito quin iis quae oculis cernuntur, multo prae- « stantiora sint ea quibus nunc frueris, nempe angelorum cho- « rea, coelestis ordo, gloriae contemplatio, tum supremae Tri- « nitatis purior et perfectior illuminatio, non iam vinctam « mentem ac per sensus diffusam suffugientis, sed totam sese « toti menti contemplandam et tenendam praebentis, totoque « divinitatis lumine animis nostris affulgentis. Omnino, in- « quam, his fruaris quorum, etiam dum adhuc in terra esses, « ob sinceram ad ea mentis erectionem, rivulos habebas ». Et Orat. 43 in laudem Basilii Magni, n. 82: « Habes haec a nobis, « Basili, hoc est a lingua quondam tibi suavissima, atque ho- « nore et aetate aequali... Tu vero, e coelo, nos, quaeso, inspi- « ce..., nosque posteaquam ex hac vita migraverimus, illic ta- « bernaculis tuis excipe, ut simul viventes, et sanctam ac bea- « tam Trinitatem cuius nunc exiguam speciem et imaginem « accepimus, purius pleniusque cernentes, desideriis nostris « finem statuamus, ac bellorum eorum quae intulimus vel per- « tulimus, hoc praemium referamus ». Quibus similia habent Hieronymus epist. 23 de exitu Leae, Augustinus l. 9 Confess. c. 3 de amico suo Nebridio, et alii.

Semper quoque in Ecclesia Dei, vita praesens dicta est via, qua ad patriam pergimus, et quidem ad patriam a cuius ingressu nihil nos retardat nisi vel mansio in hoc corpore corruptibili, vel luenda adhuc propriorum poena peccatorum. « Considerandum est, inquit Cyprianus l. de mortal. n. 26, « nos tanquam hospites et peregrinos hic interim degere. Am- « plectamur diem qui assignat singulos domicilio suo, qui nos

« isthinc ereptos et laqueis saecularibus exsolutos paradiso re-
« stituit et regno. Quis non peregre constitutus properaret in
« patriam regredi?... Patriam nostram paradisum computa-
« mus... Quid non properamus et currimus, ut patriam nostram
« videre, ut parentes salutare possimus? » Haec Cyprianus, loquendi modum universali usu christianorum consecratum adhibens. Sed quid tandem patriae nomine significatum existimabimus? quid nisi Ierusalem coelestem in visione Dei? Audiamus Augustinum, Enarr. in Ps. 119, n. 6, super illa verba: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est*: « Nondum
« veni in patriam illam, ubi cum nullo malo victurus sum;
« nondum veni ad illam societatem angelorum, ubi scandala
« non timebo... Ibi omnes iusti et sancti, qui fruuntur Verbo
« Dei sine lectione, sine litteris; quod enim nobis per paginas
« scriptum est, per faciem Dei illi cernunt. Qualis patria!
« Magna patria, et miseri sunt peregrini ab illa patria! ». Non ergo iuxta Patres, in iudicii diem differtur gloria coelestis. Accedit etiam quod apud eosdem passim dicuntur animae sanctorum esse in coelo (1); qui locus iuxta evangelium proprie deputatur visioni beatae. Accedit demum quod ab initio, diem mortis martyrum et confessorum, natalem diem Ecclesia vocare consuevit, idque non alia de causa, nisi quia per mortem translati sunt a vita praesenti quae est quaedam prolixitas mortis, in veram vitam quae est vita aeterna.

§ 3.

Superest ut praecipuis rationibus quae in contrarium afferuntur, fiat satis. Et prima est quia in parabola de operariis in vineam conductis, Matth. XX-8, praecipit paterfamilias omnibus operariis simul ad vesperam reddi mercedem. Vespera autem finem mundi significat, et merces nulla alia est quam merces vitae aeternae.

(1) Athanasius in vita S. Antonii, n. 94. Basilius, homilia in 40 martyres, n. 8. Hieronymus c. Vigilantium, etc., etc.

Respondeo: nullam esse conclusionem. Non enim omnes circumstantiae in parabolis, significandi gratia apponuntur. Sed oportet considerare scopum, qui in praesenti nullus alius est quam retundendi arrogantiam Iudaeorum sese supra Gentiles extollentium, quasi Gentiles utpote tardius vocati, in inferiori gradu reponendi essent quoad retributionem in regno caelorum. Sicut ergo intentio parabolae nequaquam in hoc est, ut aequalis merces credatur retribuenda pro meritis inaequalibus, sed solum ut ostendatur non ideo minor futura in Gentilibus, praecise quia isti cum antiquo illo Hebraeorum populo primitias vocationis non habuerunt: sic neque in hoc, ut circa tempus retributionis aliquid determinetur. Accidit ergo circumstantia simultaneae remunerationis ad diei vesperam, et non magis necesse est ipsam in applicationem venire, quam illam aliam de murmuratione adversus patremfamilias (1). Quamquam nulla adhuc esset consequentia, etiamsi ibi quoque figuram inesse velles, quia revera in fine mundi omnibus iustis simul reddetur merces beatitudinis consummatae, qua scilicet totus homo in corpore et anima beatus fiet, et per sententiam toti mundo notificatam glorificabitur, dicente Christo: *Venite benedicti..., percipite regnum.* Cum quo tamen stat, non ad hoc usque tempus differri animabus separatis visionem Dei.

Et haec ultima responsio valet pro locis omnibus in quibus bonorum operum merces reiicitur in diem resurrectionis iustorum (Luc. XIV-14), in diem Domini (Rom. II, 5-6), in diem illum (2 Tim. 1-12), in diem quo veniet Dominus (1 Cor.

(1) Simile est in parabola divitis epulonis, in qua edocemur quod post mortem unicuique retribuitur secundum ea quae gessit in corpore, quod tunc merita non possunt amplius mutari, quod inter infernum et paradisum impertransibile chaos positum est, quod denique ad vitandum irreparabile illud aeternae damnationis malum, sufficere nobis debet ordinarium Ecclesiae magisterium seu ministerium, quin expectandae sint extraordinariae monitiones vel mortuorum apparitiones. Caetera vero accidunt, velut circumstantia devotae orationis epulonis damnati ad patrem Abraham, circumstantia sollicitae curae pro salute fratrum, et si quae aliae eiusmodi.

IV-5), etc. Valet quoque pro auctoritate apostoli, Heb. XI-40. ubi commemoratis prius gestis sanctorum V. T., subdit: *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente ut non sine nobis consummarentur.* Nam vox illa *consummari*, suapte vi ultimum perfectionis solet designare, adeoque recte accipitur pro remuneratione completa et ultimata quae habebitur in resurrectione. Et tamen, si repromissionem interpretari velles solam beatitudinis substantiam in visione intuitiva, iterum nihil sequeretur. Sensus enim esset, iustos antiquos non accepisse illam statim a morte sicut sancti eam nunc accipiunt, sed debuisse exspectare *tempus nostrum*, id est tempus Novi Testamenti; nam hoc etiam modo verum est quod non sine nobis consummantur.

Quod autem ad Patres attinet, concedendum nonnullos ex vetustioribus in oppositam sententiam abiisse, idque propter rationes superius dictas, quas constat esse extraneas fonti traditionis. Aliqui vero alii immerito obiiciuntur; quorum sensus apparebit ex iam dicendis in propositione quae sequitur.

THESIS IX.

Beatitudo statim consummatur quoad sui substantiam, sed crescit usque ad ultimum diem quantum ad accidentale gaudium communionis sanctorum in concordissima illa societate coelestis Ierusalem, donec tandem ultimo compleatur per gloriosam corporum resurrectionem, et manifestationem iudicii generalis de qua dicit apostolus: « Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo ».

Supponitur in praesenti trita illa distinctio inter substantiam beatitudinis et accidentalia eius. Sciendum tamen est quod accidentalia beatitudinis dupliciter sumi possunt: vel pro iis quae ab essentia sunt non modo distincta, verum etiam separabilia; vel pro iis quae distincta quidem sunt, tametsi essentiam necessario et semper comitentur. Hic autem a sub-

stantia beatitudinis contradistinguuntur solum illa quae ab ea possunt separari ut per modum unius nunc accipiantur tum visio Dei, tum concomitans amor et fruitio (1).

§ 1.

Loquendo igitur de substantia beatitudinis, id est de visione Dei et concomitante amore et fruitione, opinio quorumdam fuit, eam esse non posse tam perfectam ante, quam post resumptionem corporum, quia naturalis appetitus quo anima separata fertur in corpus ut ei rursus uniatur, remoratur eam quominus tota intensione totoque conatu feratur in Deum. Unde dicebant id esse discriminis inter angelos et animas, quod angeli nullo impedimento retardantur, animae vero sanctorum usque ad resurrectionis tempus aliqualiter distrahuntur a visione Dei. Ita sensisse videtur Augustinus l. 12 de Genes. ad litt. c. 35, et l. 1 Retract. c. 14 (2). Ita quoque post Augustinum Bernardus, Serm. 3 de omnibus sanctis, n. 2, ubi distinctione prius facta inter tres sanctarum animarum status, (primum in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata; primum in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei), sic prosequitur: « Sed unde hoc tibi, o misera caro, o foeda, o fetida, unde tibi « hoc? Animae sanctae, quas propria Deus insignivit imagine, « te desiderant..., et ipsarum sine te compleri laetitia, perfici

(1) Vide S. Thom. 1-2, Q. 3, a. 4.

(2) Verba Augustini l. c. de Genes. ad litt., haec sunt: « Si quem « movet, quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in re- « surrectione recipere, si potest eis etiam sine corporibus summa « illa beatitudo praeberi..., minime dubitandum est... hominis mentem « post mortem, ipsa carne deposita..., non sic videre posse incom- « mutabilem substantiam, ut sancti angeli vident, sive alia latentiore « causa, sive ideo quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus « administrandi: quo appetitu retardatur quodammodo ne tota in- « tentione pergat in illud summum caelum, quamdiu non subest « corpus cuius administratione appetitus ille conquiescat ». Et l. 1. Retract c. 14: « De sanctis omnibus iam defunctis, utrum ipsi saltem « dicendi sint iam in illa possessione consistere, merito quaeritur...

« gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem vi-
« get in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum
« affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodam mo-
« do, et rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui » (1).
Haec Bernardus opinans requiri corpus, ut perfecta sit ipsa
beatifica visio, beatificusque amor. Sed et eamdem deinde opi-
nionem amplexi sunt nonnulli doctores scholastici, duce Ma-
gistro, l. 4 Sent. D. 49, n. 5 Nam S. Bonaventura in IV,
D. 49, Part. 2, a. 1, ait: « Concedendum est quod glorificatio
« corporis facit ad maius gaudium... etiam quantum ad inten-
« sionem, non augendo habitum, sed removendo impedimen-
« tum. Unde non facit ad augmentum praemii essentialis prin-
« cipaliter, sed ex consequenti ». Item S. Thomas, Suppl.
Q. 93, a. 1: « Anima separata naturaliter appetit corporis con-
« iunctionem, *et propter hunc appetitum... eius operatio qua*
« *in Deum fertur est minus intensa.* Et hoc est quod dicit
« Augustinus, etc. ».

Aliter tamen sentit ipse S. Thomas in 1-2, Q. 4, a. 5, ubi
censetur retractasse id quod iunior in commentario super Sen-
tentis tradiderat. Conclusio enim eius est, quod « cum in vi-
« sione divinae essentiae perfecta hominis beatitudo consistat,
« non dependet beatitudo perfecta hominis a corpore ». Tum
in responsione ad 5.um expresse docet quod, *corpore resumpto,*
beatitudo crescit, non intensive, sed extensive, pro quanto sci-
licet, ut ad 4.um praemiserat, « appetit anima sic frui Deo,
« quod etiam ipsa fruitio derivetur ad corpus per redundan-
« tiam sicut est possibile; et ideo, quamdiu ipsa fruitur Deo

« Adhuc expectant etiam ipsi redemptionem corporis sui... Sed utrum
« ad contemplandum cordis oculis veritatem, sicut dictum est, facie
« ad faciem, nihil ex hoc minus habeant, non hic locus est dispu-
« tando inquirere ». Ubi vides Augustinum non dubitare an nunc
fruantur animae sanctorum visione Dei, sed an ita perfecte sicut
fruentur post resurrectionem.

(1) Eodem ergo modo quo Augustinus, intelligi debet Ber-
nardus in iis locis in quibus videri posset differre visionem beati-
ficam usque in iudicii diem. De qua re vide omnino notam Mabil-
lonii apud Migne, **P. L. Tom. 183, col. 465.**

« sine corpore, appetitus eius sic quiescit in eo, quod tamen « adhuc ad participationem eius vellet suum corpus pertinge- « re ». Non ergo, iuxta Angelicum, id faciet resurrectio, ut intensior sit in anima visio et fruitio Dei, sed solum ut bonum huius fruitionis extendatur *prout est possibile*, redundando etiam in corpus quo in sua natura anima perficitur. Et sic sentiunt nunc theologi communiter, nec sane immerito. Nam primo, si anima retardaretur a visione Dei in appetendo corpus, retardaretur etiam magis quando debebit postea occupari in resumpto corpore administrando. Praeterea, sequeretur propter paritatem rationis, angelos a summa sua beatitudine aliqualiter decidere, quamdiu in exteriora mittuntur ministeria. Adhuc, nullo pacto conciliari potuisset in Christo status comprehensoris cum summo illo dolore cui alter similis non fuit, quandoquidem, ubi de animae impedimento sermo est, multo fortius impedimentum erit dolor positivus quam simplex appetitus nondum quietatus. Denique hic redeunt omnes rationes alias expositae ubi de visione intuitiva, quae si intensive crescere posset, hoc esset vel ex parte obiecti, vel ex parte luminis gloriae, vel ex parte potentiae. Atqui ex nulla. Non ex parte obiecti, quia obiectum est divina essentia quae semper eadem immediate et secundum se menti applicatur. Non ex parte luminis gloriae, quia lumen gloriae proportionatur gratiae quae post hanc vitam non crescit. Neque demum ex parte potentiae, quia potentia est intellectus, et quidem intellectus prout in tali operatione omnibus modis transcendens habitudinem ad corpus.

Sic igitur, a primo instanti anima adipiscitur totam substantiam beatitudinis, et vere introducitur in vitam aeternam. Aeternam autem dico, accipiendo nunc aeternitatem secundum duas notas ab aeternitate divina participatas, quae sunt interminabilitas et intransmutabilitas. Propterea maximopere cavebis a grossa illa imaginatione qua conciperetur duratio praedictae vitae aeternae instar durationis temporis infiniti, immobilitatemque eius per modum immobilitatis quae apud nos

quandoque invenitur. Est enim duplex immobilitas: privativa una, transcendens altera. Sicut duplex quoque est indivisibilitas: una privativa, propria illius quod in ordine divisibilium clauditur, (quomodo indivisibile est punctum, in ipsa linea extensionis existens;) altera transcendens, propria illius quod est extra totum genus continui seu extensi, (quomodo indivisibilis est anima, indivisibilis angelus, indivisibilis substantia ratione sui). Sicut etiam duplex est incoloratum: incoloratum privative, quod cum sit de genere colorabilium, colorem tamen non habet, et hoc modo incoloratum idem est ac nigrum; tum incoloratum transcendentaliter, quod non est de genere eorum quae colorem suscipiunt, et hoc modo incolorata est anima, incoloratus sonus, atque ita porro. Simili itaque ratione, duplicem cogitabis immobilitatem. Una est quae convenit enti mobili, quod cum sit in potentia ad motum, motu illo ad quem est in potentia, privatur. Et talis immobilitas tempore mensuratur, novitque longitudinem dierum, noctium, mensium, annorum, necnon et saeculorum. Sed ab eiusmodi immobilitate tam distat immobilitas altera, quam distat indivisibilitas puncti ab indivisibilitate spiritus, et incoloratio animae ab incoloratione nigri. Nunc autem, secundum operationem visionis intuitivae in lumine gloriae, et amoris beatifici in splendoribus ipsius visionis, nequaquam nata est moveri mens, sed supra omnem mobilium ordinem, Deo aeterno aeternali modo adhaeret. Et ideo, in duratione ineffabiliter transcendente omnes imaginationes, phantasias, experientias, imo et cogitationes nostras, est visio illa Dei et omnium quae videntur in Deo; est et concomitans ille ardor vivaxque flamma perpetuae charitatis.

§ 2.

Sed praeter substantiam, alia sunt cogitanda in beatitudine caelesti, quae successione quadam vel obtinentur, vel etiam augentur.

In his est gaudium de societate sanctorum. Nam, ut Bernardus ait, Serm. 5 de OO. SS. n. 6, si hic quoque ubi nihil perfectionis, nihil quietis, quadantenus verificatur dictum Psalmistae: *ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum*, (quidquid enim, sive interius sive exterius molestum occurrit, ipso utique tam germanorum consortio fratrum, cum quibus est nobis cor unum et anima una in Deum, tolerabilius invenitur): « quam dulcior erit, quam delectabilior, quam bea-« tior unio, ubi nulla suspicio esse poterit, nulla dissensionis « occasio, ubi omnes perfecta charitas indissolubili foedere col-« ligabit! ». Quam utique beatior! Ubi non erit meum et tuum, frigidum illud verbum, et quidquid est malorum in vitam nostram invehens. Ubi non solum nullus malus inter bonos, sed nec quidquam mali in bonis remanebit admixtum. Ubi cuncti in sublimi visione Dei constituti, indeclinabiliter iustabuntur supremae normae omnis convenientiae, omnis ordinis, et omnis rectitudinis. Ubi nemo laedetur, irascetur nemo, nemo invidebit, cupiditas nulla exardescet, nullum desiderium honoris pulsabit, aut potestatis ambitio, sed erit immortalitatis munere vita iucunda! « *Collauda*, inquit (1), *Ierusalem, Dominum.* Quid « enim factura es, o Ierusalem? Transiet certe et labor et gemi-« tus. Quid factura es? An in illis operibus, quamvis bonis et de « misericordia venientibus, exerceri te adhuc oportet? Considera « numerum tuum, considera undique societatem tuam; vide « utrum aliquis esuriat, cui porrigas panem; vide si aliquis « sitiat, cui des calicem aquae frigidae; vide utrum aliquis « do apud te peregrinus est, quem hospitio recipias; vide utrum « aliquis sit aeger, quem visites; vide utrum aliquis litiget, quem « concordes: vide utrum aliquis moriatur, quem sepelias. Quid « ergo factura es? *Collauda, Ierusalem, Dominum;* ecce hoc « est negotium tuum. Sicut solet in titulis scribi: Utere felix: « *Collauda, Ierusalem, Dominum* ». O Ierusalem quae aedificaris ut civitas! O de qua scriptum est quod participatio tua est in idipsum, pro quanto scilicet omnes cives tui, etsi supra

(1) Augustinus, Enarrat. in Ps. 147, n. 6.

numerum arenae maris multiplicati, etsi gratia dispares, meritis inaequales, et in diversissimis mansionum gradibus collocati, inter sese tamen intime communicant, et in unam compactam atque concordissimam assurgunt societatem! Haec est beata communio sanctorum quae in evangelio annuntiatur cum dicitur quod Iesus moriturus erat ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum (1), et alibi, quod congregabunt electos eius a quatuor ventis, a summis caelorum usque ad terminos eorum (2), et alibi: « Tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in « nobis unum sint » (3). Sed gaudium hoc de societate sanctorum nondum est consummatum, quia nondum est completus numerus electorum in superna felicitate locandus. Imo quotidie crescit, quia quotidie novae animae intrant civitatem gloriae, apponunturque ad populum suum, usquedum veniente die novissimo, plenissime adimpleatur illud: *Lauda Ierusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum.* « Vectium confirmatio non est portarum aperta- « rum, sed clausarum. Conclusam Ierusalem dicit laudare Do- « minum... Nemo exeat, nemo intret... Tantummodo esto in nu- « mero virginum quae portarunt oleum secum... Caeterae fatuae « excludentur. Nam hoc habes in evangelio: Claudetur ostium, « et stabunt et clamabunt: aperi nobis, et non aperietur: *Quo-* « *niam confirmavit vectes portarum tuarum.* Secura sta, secura « lauda, sine fine lauda. Fortiter clausae sunt portae tuae; non « exit amicus, non intrat inimicus » (4).

Ergo usque nunc continuo augetur accidentale gaudium communionis sanctorum. Ultimum vero beatitudinis complementum exspectatur in resurrectione mortuorum. Sed de resurrectione proprius ac specialis habebitur articulus statim post absolutam praesentem disputationem de animabus separatis, in qua solum dicendum superest de relationibus intercedentibus

(1) Ioan. XI-52.
(2) Matth. XXIV-31.
(3) Ioan. XVII-21.
(4) August. Enarr. in Ps. 147, n. 9-13.

inter ipsas et nos adhuc in corpore manentes. Quae quidem quaestio nunc est compendiose exponenda, ut sequitur.

Quaestio VI.

DE HABITUDINE DEFUNCTORUM AD VIVOS ET VIVORUM AD DEFUNCTOS

Nota in primis, consulto hic adhiberi nomen *defunctorum*, potius quam *mortuorum*, ut scilicet sub talis generalitate vocabuli (quo nihil aliud designatur nisi status eorum qui vita quae apud nos est iam functi sunt), venire possint etiam animae cum Christo in coelo regnantes: iis enim, utpote vita vera atque aeterna iam fruentibus, minime conveniret mortuorum appellatio. Nunc autem conditionem *defunctorum* revera participant illi omnes quos exutos corpore futurum saeculum excepit, sive in coelo sint, sive in purgatorio, sive in inferno. Et secundum hanc denominationis amplitudinem praesens quaestio currit, in qua ad duo capita consideratio tota reducitur. Primo, de habitudine defunctorum ad vivos, tam quoad cognitionem eorum quae apud nos aguntur, quam quoad auxilium quo nos iuvare possunt. Secundo, de habitudine vivorum ad defunctos, sive ut religioso cultu prosequendos, sive ut suffragiis sublevandos.

§ 1.

De habitudine defunctorum ad vivos quoad cognitionem eorum quae apud nos aguntur.

Qua in re distinguere oportet cognitionem quam secundum solum naturae ordinem animae separatae per seipsas habent, tum cognitionem quam ex adventicio ab aliis accipere possunt, tum denique cognitionem gloriae quae solis beatis est propria.

Porro secundum naturalem cognitionem nesciunt animae separatae ea quae hic aguntur. « Et huius ratio est quia anima « separata cognoscit singularia per hoc quod quodam modo determinata est ad illa, vel per vestigium alicuius praecedentis « cognitionis seu affectionis, vel per ordinationem divinam. Animae autem mortuorum secundum ordinationem divinam et « secundum modum essendi segregatae sunt a conversatione « viventium, et coniunctae conversationi spiritualium substantiarum quae sunt a corpore separatae; unde ea quae apud nos « aguntur ignorant... Et hanc rationem assignat Gregorius l. 12 « Moralium c. 14 dicens: *Mortui, vita in carne viventium post « eos qualiter disponatur, nesciunt, quia vita spiritus longe est « a vita carnis*, et sicut corporea atque incorporea diversa sunt « genere, ita sunt distincta cognitione. Et hoc etiam Augustinus « videtur tangere, l. de cura pro mortuis c. 13, dicens quod « *animae mortuorum rebus viventium non intersunt* » (1).

Cum hoc tamen stat, quod facta viventium quae per seipsos mortui naturaliter non cognoscunt, per alios cognoscere possint, videlicet vel per animas eorum qui hinc ad eos accedunt, vel per angelos seu daemones, vel etiam Spiritu Dei revelante (2). In omni autem modo, animarum beatarum exsors et specialis plane ratio est, eo quod supra conditionem naturae elevantur per lumen gloriae. Nulli enim intellectui beato deest quin cognoscat in Verbo omnia quae ad se spectant, ut dicit Angelicus in tertia Parte, Q. 10, a. 12. Unde sequitur beatos cognoscere *in Verbo* vota et orationes hominum qui ad eorum auxilium confugiunt, imo et omnia ad quae legitimum eorum desiderium sese potest extendere. Nec obstat quod Augustinus in l. de cura pro mortuis c. 13, de hoc dubitare videatur, ea scilicet ratione nixus, quod a matre sua in tristitiis non visitabatur sicut quando ipsa vivebat, cum tamen admitti non posset ,ipsam factam esse vita

(1) S. Thom. Prima Parte, Q. 89, a. 8.

(2) Ibid. ad 1. um.

feliciore crudelem (1). Bene enim respondet S. Thomas: Magis « videtur secundum sententiam Gregorii, quod animae sancto- « rum Deum videntes, omnia praesentia quae hic aguntur co- « gnoscant. Sunt enim angelis aequales, de quibus etiam Au- « gustinus asserit quod ea quae apud vivos aguntur, non igno- « rant. Sed quia sanctorum animae sunt perfectissime iustitiae « divinae coniunctae, nec tristantur, nec rebus viventium se in- « gerunt nisi secundum quod iustitiae divinae dispositio exi- « git » (2).

Haec de habitudine qua defuncti se habent ad vivos quoad cognitionem. Utrum vero ita se habeant ad illos, ut eis possint aliquatenus auxiliari, restat inquirendum.

De habitudine defunctorum ad vivos quoad auxilia quibus eos iuvare possunt. In quo quidem manifestum est opus esse distinctione: distinctione, inquam, inter damnatos et sanctos, et iterum inter sanctos qui vel in purgatorio sunt, vel in paradiso.

Nunc igitur, quod attinet ad damnatos, liquido constat nihil nos ab eis adiuvari posse, cum non sint in statu intercedendi apud Deum, et obtinendi aliquid ab eo sive pro se sive pro aliis, et aliunde in malo obstinati, nullius affectus charitatis capaces exsistant. Et hic obiter nota, non esse contra ultimam hanc assertionem id quod Luc. XVI-27, legitur de divite epulone, qui in inferno positus volebat mitti Lazarum ad quinque fratres suos, ut testaretur illis ne et ipsi venirent in locum tormentorum. Quidquid enim aliqui pro sua particulari opinione senserint, omnino dicendum videtur, nihil plus ibi esse quam parabolam. Porro, ut iam notatum est, plura in parabolis sunt solum ad constructionem facti sub quo doctrina vel moralis monitio intimanda intenditur. Et sic est in hoc loco, ubi non in-

(1) « Si rebus viventium interessent animae mortuorum... me « ipsum pia mater nulla nocte desereret, quae terra marique secuta « est ut mecum viveret. Absit enim ut facta sit vita feliciore crudelis « usque adeo, ut quandò aliquid angit cor meum, nec tristem filium « consoletur, quem dilexit unice, quem nunquam voluit moestum vi- « dere ». Augustin. l. de cura pro mortuis gerenda, c. 13.

(2) S. Thom. ubi supra.

troducitur petitio epulonis solliciti de salute fratrum, nisi ut poni possit in ore Abrahae haec ad nos directa admonitio: *Habent Moysen et Prophetas, audiant illos.* Et iterum: *Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Quatenus scilicet satis nobis esse debet authenticum Ecclesiae magisterium et regimen, et frustra expectaremus extraordinarias revelationes seu apparitiones, si nobis ordinaria et communia media non sufficiunt, multoque magis si ad manum posita negliguntur, vel oblata contemnuntur.

Cum igitur de damnatis nulla in praesenti quaestio esse possit, nulla quoque, sed sensu inverso, possibilis dubitatio est de animabus beatis in paradiso. Has enim beatas animas suffragio suo nos iuvare apud Deum, catholica doctrina est, et non in sola Traditione fundata, verum etiam in Scripturis tum Veteris tum Novi Testamenti. Nam 2 Mach. XV-14, refertur visio Iudae Machabaei qui vidit *Oniam... manus protendentem orare pro populo Iudaeorum,* aliumque virum aetate et gloria mirabilem, quem designans Onias dixit: *Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Ieremias propheta Dei.* Cuius etiam oratio protinus ostenditur exaudita, in hoc quod subditur: *Extendisse Ieremiam dextram, et dedisse Iudae gladium aureum, dicentem: Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel.* Et ista quidem ad ea tempora referuntur, in quibus animae Patrum adhuc in limbis detinebantur, et nondum fruebantur visione Dei. Quanto ergo magis vera erunt, ex quo aperta fuit sanctorum via, et sancti in patria nunc degentes, Deo sunt propinquissimi! Unde Scripturae N. T. aperte nos edocent communionem Ecclesiae triumphantis cum militante sub uno capite Christo, Heb. XII-23, Eph. II-19, et IV-16. Communio autem ista necessario exigit ut membra pro invicem sollicita sint, seque invicem iuvent, ut apostolus docet Rom. XII-4, et I Cor. XII per totum. Sed nec in aliquo alio sollicitudo triumphantium in coelis pro nobis in terra peregrinantibus consistere potest, quam in intercessionibus apud Deum, et ideo,

Apocal. V-8, sermo est de phialis aureis plenis odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum. Verum plenissima demonstratio hic sumitur ex divina Traditione, cuius monumenta caeteroquin sat nota, transcribere nunc non vacat (1).

Remaneret ergo dubium de animabus purgatorii. Quoniam, dicet fortasse quispiam, si animae illae seipsas iuvare non possunt, multo minus iuvare poterunt alios. Sed absit ut in hanc opinionem quae communi fidelium sensui plane repugnat, abeamus. Re enim vera, ratio superius desumpta ex communione sanctorum omnino universalis est, et vinculum charitatis quo Ecclesia patiens cum Ecclesia militante iungitur, etiam comprehendit. Itaque, sic nos et animae illae mutuam praestamus operam, dum nos pro illis, illae pro nobis orant, quomodo viventes oramus pro invicem ut salvemur. Nec ab illo charitatis officio animas purgantes impedire potest poenarum acerbitas, quia ut iam notatum est, ratio propter quam in hac vita intentio mentis per doloris intensitatem impeditur, locum amplius non habet post corruptibilis huius corporis depositionem. Rursus nulla deduceretur consequentia ex hoc quod ea quae hic aguntur, ignorant. Nam praeterquam quod de iis quae per seipsas cognoscere non valent, per suos angelos fieri possint certiores: « di- « cendum quod animae mortuorum possunt habere curam de « rebus viventium, etiamsi ignorent eorum statum, sicut nos « habemus de mortuis, eis suffragia impendendo, quamvis eo- « rum statum ignoremus » (2). Denique non est cur ratione dubitandi superius posita movearis, quia dato etiam quod purgantes animae nihil possent pro aliis in eo ordine in quo sunt impotentes pro semetipsis, videlicet in ordine impetrandi a Deo remissionem poenae temporalis, adhuc nulla, et ne apparens quidem causa esset, propter quam non valeret earum intercessio quoad omnia bona propria viatoribus in quantum huiusmodi, quorum respectu indigentes amplius non sunt, nos autem quam maxime.

(1) Vide Bellarminum, de Ecclesia triumphante l. 1, c. 18.
(2) S. Thom. in prima Parte Q. 89, a. 8 ad 1. um.

§ 2.

De habitudine vivorum ad defunctos, sive ut religioso cultu prosequendos, sive ut suffragiis sublevandos.

De cultu sanctorum principia posita sunt in tractatu de Verbo incarnato, ubi de adoratione Christi. Sane vero, super quamlibet specialem excellentiam fundatur debitum specialis quoque cultus seu reverentiae. In hoc autem specialiter excellunt animae sanctae quae ex hoc saeculo transierunt, quod immobiliter coniunguntur Deo auctori gratiae et gloriae. Et huic excellentiae quae eis est exclusive propria, respondet cultus religiosus quo eas prosequimur, honorando, invocando, et quolibet modo nostram submissionem protestando. Caeterum, quod cultus ille qui defertur sanctis, alius omnino rationis sit a supremo latriae cultu qui soli Deo debetur, evidenter videbit quisquis calumniis protestantium totus non praeoccupatur, et voluntaria obcaecatione circa Ecclesiae doctrinam ac disciplinam totus non caligat. Item, quod implorata sanctorum intercessio, nedum in aliquo deroget mediationi Christi, eam potius commendet quam plurimum, alibi quoque ostensum est, cum de sacrificio Eucharistiae et de missis in honorem sanctorum ageretur. Vide ibi dicta.

Similiter de suffragiis quibus animae purgatorii a nobis viatoribus sublevari possunt, sat multa antiquae traditionis testimonia in superioribus allata sunt. Sed et principia generalia fuerunt exposita in tractatu de sacramentis, ubi de excommunicatione et de indulgentiis, et iterum ubi de sacrificio missae, nec in praesentiarum aliquid specialiter addendum occurrit.

Quod autem attinet ad sepulturam per quam defunctis ultima in hoc mundo mansio paratur, dicendum est cum S. Thoma, Suppl. Q. 71, a. 11, quod exsequiarum cultus adinventus est et propter vivos et propter mortuos. Propter vivos quidem, ad

solatium. Propter mortuos vero, ut vivi inspicientes defunctorum sepulcra, eorum memoriam retineant, et pro eis orent. « Unde et monumentum a memoria nomen accepit; dicitur enim « *monumentum* quasi *monens mentem*, ut dicit Augustinus in l. « de cura pro mortuis agenda, c. 4 ». Insuper, in eodem cultu adstruitur resurrectionis fides. Qua de causa videmus antiquos iustos specialiter curasse de possessione sepulcri (Genes. XXIII-9), et de sua sepultura mandasse filiis suis (Genes. XLIX-29, L-21), volentes sepeliri in terra promissionis, ubi credebant nasciturum, moriturum et resurrecturum Christum, qui futurus erat *primitivae dormientium*. At nos terra dormitionis nunc manet, figurata per agrum illum figuli, quem pretio sanguinis emerunt principes sacerdotum in sepulturam peregrinorum, Matth. XXVII-7. Vere enim ager est sanguinis simul et ager figuli. Ager quidem sanguinis quia ibi requiescunt christiani in spe iam propalata per crucem et sanguinem Christi. Ager vero figuli, quia ibi figulus creatorque omnium qui olim de limo terrae plasmavit hominem, iacentia corpora nostra reformabit configurata corpori Filii dilectionis suae. Et hoc quidem, quando venerit resurrectionis dies; de qua resurrectione, caeteris praetermissis, iam nunc agendum est.

CAPUT TERTIUM

Quaestio VII.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM

« Tristis factus es de sepulto charissimo tuo, quia non sta-
« tim audisti vocem eius. Vivebat, mortuus est; sentiebat, iam
« non sentit; non interest gaudiis et laetitiae vivorum! Num-
« quid plangeres semen, quando ararès? Si ergo esset quisquam
« ita rerum imperitus, qui quando effertur semen in agrum, et
« in terram mittitur, et fracta gleba sepelitur; si ergo esset
« quisquam ignarus rerum etiam prope futurarum, qui plange-
« ret triticum, quia meminisset aestatis, et cogitaret apud se di-
« cens: *Hoc frumentum quod modo sepultum est, quanto labore*
« *messum, apportatum, trituratum, purgatum, servabatur in*
« *horreo, videbamus eius decorem, et gratulabamur; modo abla-*
« *tum est ab oculis nostris; terram exaratam video, frumentum*
« *vero nec in horreo, nec hic cerno...*, quomodo irrideretur a qui-
« buslibet indoctis, sed in illa re non indoctis, imperitis quidem
« aliarum rerum, peritis autem illius rei quam plangeret ille
« deformiter imperitus. Et quid ei dicerent illi qui scirent, si
« forte propterea ipse plangebat, quia nihil horum sciebat? *Noli*
« *esse tristis. Hoc quod sepelivimus certe iam non est in horreo,*
« *non est in manibus nostris. Veniemus ad agrum hunc, et de-*
« *lectabit te videre speciem segetis, ubi nunc plangis nuditatem*
« *arationis*. Ille qui noverat quid esset de frumento venturum,

« et in ipsa aratione gauderet. Ille vero incredulus vel potius « insipiens, et ut verius dicam, inexpertus, plangeret forsitan « primo, sed experto credens consolatus abscederet, et futuram « messem cum experto speraret. Sed solent videri per annos « singulos messes; generis autem humani una ultima in fine « saeculi messis assurget. Ostendi nunc oculis non potest, sed « de uno principali grano (Christo) datum est experimentum.... « Quanquam et omnis creatura loquitur resurrectionem, si surdi « non sumus; unde coniicere debemus quid in fine semel de ge- « nere humano facturus est Deus, cum tot similia quotidie vi- « deamus... Unde abeunt, unde redeunt frondes arboribus? in « quae secreta discedunt, de quibus secretis adveniunt?... At- « tendunt haec qui agrum colunt. Et qui non colunt, quia in « urbe semper vivunt, de hortis certe vicinis urbi cognoscant « contemptibilia quaeque purgamenta civitatis quibus studiis « serventur, a quibus etiam pretio comparentur, quo portentur. « Certe iam contemptibilia, exinanita omni utilitate ab inexper- « tis possent putari. Et quis dignatur stercus intueri? Quod « intueri homo horret, servare curat. Illud ergo quod con- « sumptum iam et abiectum videbatur, redit in pinguedinem « terrae, pinguedo in succum, succus in radicem; et quod de « terra in radicem transit, invisibilibus accessibus migrat in ro- « bur, distribuitur per ramos, a ramis in germina, a germine « in fructus et folia. Ecce quod horrebas in putredine stercoris, « in arboris fecunditate et viriditate miraris ». Et hucusque qui- dem Augustinus (1), exemplis quibusdam ostendens quid erit in illa resurrectione mortuorum quam firma fide credimus, et spe certissima in fine temporum futuram exspectamus.

De qua cum sermo nunc nobis esse debeat, omnis nostra consideratio convenienter reducetur ad quatuor illa capita quae assignat S. Thomas in Suppl. Q. 75-86. Primo de facto futurae resurrectionis. Secundo de tempore et modo. Tertio de termino a quo. Quarto demum de termino ad quem, tam quoad iden- titatem corporum resurgentium cum corporibus quae erant

(1) Serm. 361, n. 9-11.

prius, quam quoad diversitatem conditionis eorumdem, sive in electis sive etiam in damnatis. Ex his enim quatuor per ordinem iam declarandis, totius pendet intelligentia quaestionis. Prae primis igitur ,fundamenti loco sit sequens propositio.

THESIS X.

Futura est secundum Scripturas in consummatione temporum generalis omnium ad vitam indestructibilem resurrectio, per quam pro statu finali totius universi, perfectio humanae speciei restaurabitur, et homo integer in anima et corpore, propriorum factorum aut praemium reportabit aut poenam.

§ 1.

De resurrectione mortuorum duo principalia in Evangelio occurrunt testimonia. Unum, Ioan. V-28: *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* Alterum, Marc. XII-26, cum parallelis apud Matthaeum et Lucam, ubi respondens Christus Sadducaeis, ait: *De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus inquiens: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis.* Et in utroque, aperta sane est futurae resurrectionis asseveratio, sed quod ad secundum attinet, dubium occurrit de bonitate rationis qua utitur Dominus, ut hanc veritatem demonstret. Nam praeterquam quod in V. T. multa alia erant testimonia minime ambigua, et non implicite tantum, verum etiam expresse et totidem verbis errorem Sadducaeorum excludentia, (velut Iob XIX-27, Dan. XII-2, Isai. XXVI-19), argumentum forsitan videri posset claudicare. Ad hoc enim ut non esset mortuorum Deus, sed viventium, sufficiebat immortalitas animae in Abraham et Isaac et Iacob. Aut si opus erat et resurrectione corporis, quomodo tunc non Deus mortuorum, Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob, cum isti tres ipso tempore quo in rubo Moyses

divinam vocem audiebat, certo certius dormirent in pulvere sepulcri?

Sed dicendum, argumentum Christi fuisse ad hominem, et hac ratione efficacissimum. Sadducaei namque nullos alios libros admittebant praeter libros Moysis, et praeterea, eatenus praecise resurrectionem corporum reiiciebant, quatenus animae immortalitatem, ut refertur Act. XXIII-8, inficiabantur: qua semel asserta et demonstrata, reliqua sine difficultate concedebant. « Supra diximus Sadducaeos, nec angelum, nec spiritum, nec « resurrectionem corporum confitentes, animarum quoque inte- « ritum praedicasse. Hi, quinque tantum libros Moysis recipie- « bant, prophetarum vaticinia respuentes. Stultum ergo erat « inde proferre testimonia, cuius auctoritatem non sequebantur. « Porro ad aeternitatem animarum probandam, de Moyse po- « nit exemplum: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et « Deus Iacob.* Statimque infert: *Non est mortuorum Deus, sed « viventium*, ut cum probaverit animas permanere post mortem, « (neque enim poterat fieri ut eorum esset Deus, qui nequaquam « subsisterent), consequenter introduceretur et corporum resur- « rectio, quae cum animabus bona malave gesserunt » (1). Quanquam si subtilius res inspiciatur, non ad hominem tantum, verum etiam absolute demonstretur resurrectio. « Dicendum, in- « quit S. Thomas Suppl. Q. 75, a. 1 ad 2, quod anima Abraham « non est proprie loquendo, ipse Abraham, sed est pars eius, et « sic de aliis. Unde vita animae Abrahae non sufficeret ad hoc « quod Abraham sit vivens, vel quod Deus Abraham sit Deus « viventis, sed exigitur vita totius coniuncti, scilicet animae et « corporis. Quae quidem vita, quamvis non esset actu, quando « verba proponebantur, erat tamen in ordine utriusque partis « ad resurrectionem ». Accedit demum quod quidquid est futurum quoad nos, praesens est apud Deum, cui iam vivit omne id quod aliquando evocandum est vel revocandum ad vitam. Et ideo signanter addit Dominus apud Lucam, XX-38: *Non est mortuorum, sed viventium; omnes enim vivunt ei.*

(1) Hieronym. in Matth. XXII-31.

Sed et de eadem mortuorum resurrectione, tum in libro Actuum (1), tum in Pauli epistolis (2), frequentissima prostant testimonia, eaque sane notiora quam uti indigeant singillatim recenseri. Imo tam manifeste tamque instanter praedicabatur ab apostolis hoc dogma, gentili philosophiae per omnia contrarium, ut primaevi haeretici, ne statim per expressam apertamque eius negationem deprehenderentur, ad sensus allegoricos illud trahere studerent: *Ex quibus*, inquit Paulus 2 Tim. II-18, *est Hymenaeus et Philetus qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam*, factam scilicet in animarum renovatione ac regeneratione a morte peccati ad vitam iustitiae. Contra quam perversam interpretationem, in symbolo apostolorum habetur: Credo... *carnis resurrectionem*, vitam aeternam, amen.

Quod autem omnium hominum, tam bonorum quam malorum, futura sit haec resurrectio, ostenditur primo ex Act. XXIV-15, ubi accusatus Paulus coram Felice praeside, ait: *Spem habens in Deum, quam et hi ipsi* (Pharisaei me accusantes) *exspectant, resurrectionem futuram iustorum et iniquorum. In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum et ad homines semper.* Ostenditur praeterea, quia etsi soleat apostolus in epistolis suis agere de sola resurrectione iustorum (3), quae et beata spes ab eo appellatur, et animandis Christi fidelibus ad omnem patientiam tolerantiamque laborum erat maxime idonea, in suis tamen praedicationibus illam aliam quae malis propria erit, omni ope intimabat, simul cum iudicio futuro et necessitate agendae poenitentiae.

(1) Act. XVII, XXIII, XXIV, XXVI.

(2) Rom. VI-5 — 1 Cor. XV per totum — Philipp. III-11 — 1 Thess. IV-15 — 2 Tim. II-18 — Heb. VI-35, etc.

(3) Nisi forte excipiatur locus ille 1 Cor. XV-54, ubi secundum vulgatam legimus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Et sensus esset, omnes quidem tam bonos quam malos resurrecturos esse, sed non omnes immutandos in statum beatae ac gloriosae immortalitatis. Verum haec lectio est dubia, ut postea dicetur.

Huc certe spectat quod, Act. XVII-32, legitur post sermonem in Areopago a Paulo habitum: *Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.* Denique, adhuc expressiora ea sunt quae dicit Christus in evangelio, ubi supra: *Omnes*, inquit, *qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei*, his verbis universalitatem mortuorum absolute comprehendens.

Sed nec quoad indestructibilitatem vitae ulla erit differentia inter resurgentes. Nam in primis, Dan. XII-2, dicitur quod *qui dormiunt in terrae pulvere evigilabunt, alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium ut videant* (alias *vileant*) *semper*. Praeterea, si iudicandi in die novissimo, illi ipsi sunt quos de monumentis educet vox Filii hominis, ergo super hominem integrum in anima et corpore cadet sententia iudicis: *Venite benedicti, recedite maledicti. Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Accedit denique et evidens ratio, dato quod omnium futura sit resurrectio pro statu finali ac definitivo. Neque enim esset omnino causa resurgendi, si resurgentes resurgerent iterum morituri, sicut statim videbit quisquis non somniabit cum Origene alternantes sine cessatione resurrectiones et mortes.

§ 2.

Et testimonia quidem hactenus allata eos potissimum spectant qui bona egerunt vel mala, id est, qui adulti ex hac vita decedunt; ad quorum doctrinam et eruditionem scripta sunt quaecumque scripta sunt. Potissimum dixi, at non exclusive. Nam de infantibus qui obierunt cum sacramento, nulla profecto quaestio esse potest, cum et ipsi sint de dormientibus in Christo, quibus iuxta apostolum 1 Thess. IV-13, debetur ex consequenti resurrectio gloriae. Quoad caeteros vero, praeterquam quod dubium non est quin includantur in universalitate locutionis evangelicae *omnes qui in monumentis sunt*: valet quoque sensus totius traditionis quae semper intellexit le-

gen futurae resurrectionis sese ad omnes sine ulla exceptione homines extendere.

Si ergo loquamur de futura resurrectione *quoad substantiam*, apparet causam eius esse, quia placuit divinae sapientiae humanam speciem in futura vita redintegrare. Hinc enim fit ut nullum ipsius speciei individuum excipiatur. Et hoc attendens S. Thomas dixit resurrectionem fore naturalem ex parte termini, pro quanto scilicet terminabitur ad vitam naturae, sicut illuminatio caeci ad visum naturalem (1). Quamquam supernaturalis omnino dicenda sit ex parte principii, cum nullum sit principium activum resurrectionis in natura, neque respectu coniunctionis animae ad corpus, neque respectu dispositionis quae sit necessitas ad talem coniunctionem; nam dispositio eiusmodi non potest a natura induci nisi determinato modo, videlicet per viam generationis ex semine. Et ideo concludit Angelicus quod resurrectio simpliciter loquendo erit miraculosa ,naturalis autem nonnisi secundum quid (2).

At nunc, si loquamur de resurrectione gloriosa qua tali, evidens est ipsam fore omni ex parte supernaturalem, quia per omnia proportionabitur supernaturali animae beatitudini. Quid autem addat ipsa gloriosa resurrectio supra illam quae toti generi humano communis erit, nondum est declarandum, sed dicetur in sequentibus.

(1) Suppl. Quaest. 75, a. 3. Nec obstat quod resurrectio futura sit pro omnibus ad vitam *indestructibilem*, quia hoc ipsum videtur esse naturale, *supposito quod fiat resurrectio:* quando nempe, non iam sicut in prima generatione, anima infundetur corpori, conditioni corporis quodammodo subiecta, sed vice versa, ad praeexsistentem animam trahetur corpus, conditioni animae quodammodo coaptandum.

(2) Et rursus non obstant argumenta rationis quae l. 4 c. Gent. c. 79 et alibi passim affert, *quasi* ad demonstrandam resurrectionem. Nam, ut ipsemet observat, Suppl. Q. 75, a. 3 ad 2um. « Ex rebus « naturalibus non cognoscitur aliquid non naturale ratione *demon-* « *strante*. Sed ratione *persuadente* potest cognosci aliquid supra « naturam, quia eorum quae supra naturam sunt, ea quae sunt in « natura, aliquam similitudinem repraesentant, sicut unio animae « et corporis repraesentat animae unionem ad Deum per gloriam « fruitionis. Et simili modo exempla quae Apostolus et Gregorius

THESIS XI.

Resurrectio omnium uno eodemque tempore fiet, et ideo explodi debet commentum illud resurrectionis primae cum consequente regno mille annorum quod adstruebant Chiliastae, quocumque tandem modo explicetur, sive ad sensum antiquorum haereticorum, sive etiam ad sensum eorum Patrum, quorum opinionem a saeculo quarto iam penitus reiectam nonnulli moderni post Protestantes sat temerarie renovare conati sunt.

Millenariis praecipuum fundamentum fuit locus Ioannis in Apocalypsi, XX-4: *Vidi... animas decollatorum propter testimonium Iesu... et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis. Caeteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Haec est resurrectio prima. Beatus qui habet partem in resurrectione prima; in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit et seducet gentes... et congregabit eos in praelium, quorum est numerus sicut arena maris. Et ascenderunt... et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam. Et descendit ignis de coelo a Deo et devoravit eos... Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt..., et iudicati sunt mortui ex his quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum. Et dedit mare mortuos qui in eo erant... Et infernus et mors missi sunt*

« inducunt, fidei resurrectionis persuasive adminiculantur ». Ponit ergo discrimen inter rationem demonstrantem et rationem persuadentem. Porro in ordine rationum persuadentium includit procul dubio rationes omnes quae ostendunt convenientias, harmonias, seu congruitates, tametsi non sufficiant ad veritatem ipsam adstruendam. Cum ergo ait. l. 4 c. Gentes ubi supra, quod ad ostendendam resurrectionem carnis futuram evidens ratio suffragatur, oportet intelligere rationem evidentem in ordine et linea rationis *persuadentis*, non autem *demonstrantis*.

in stagnum. Haec est mors secunda. Quae omnia materialiter ad litteram accipientes Millenarii, primo quidem adstruebant ultimum Christi adventum et gloriosam resurrectionem sanctorum futuram mille annis ante finem mundi, eamque ad regnum terrenum in gloriosa civitate Ierusalem e suis ruinis instaurata. Opinabantur deinde, fore ut post completos illos mille annos, soluto Satana de carcere suo, sancti resuscitati obsiderentur in sua civitate ab innumerabili gentium Gog et Magog exercitu, sed nequaquam superarentur, propter ignem de coelo consumentem omnes adversarios. Denique post ultimam hanc victoriam civitatis Dei in hoc mundo, ponebant consummationem saeculi, secundam resurrectionem (eorum scilicet mortuorum qui in prima partem non habuerant), ac demum iudicium universale: quo tandem peracto, totum universum immobili in perpetuum ordine componeretur.

Sed Millenarii alii haeretici fuerunt, alii vero non. Haereticorum dux et coryphaeus, teste Eusebio l. 3, c. 28, fuit Cerinthus, regnum mille annorum in nuptiarum festis, et carnalium voluptatum illecebris, et omni genere libidinum reponens. Quam impietatem semper exhorruere Ecclesiae Patres. At Papias, Ioannis auditor, ut scribit Irenaeus, et Polycarpi contubernalis, sic temperavit reformavitque deliria Cerinthi, ut turpem beatitudinem converteret in spirituales delicias, qualibus affici iustos ac puros homines decet. Et quamvis hic Papias vir esset mediocri admodum ingenio, qui male intellectis apostolorum narrationibus, terrenum illud Christi regnum commentus est, sectatores tamen suae sententiae habuit insignes quosdam ecclesiasticos scriptores, plus aequo reveritos auctoritatem hominis ab apostolo Ioanne instituti: Irenaeum dico, Iustinum, Tertullianum et alios nonnullos (1). Verum haec eorum opinio, ipso iam saeculo secundo a compluribus

(1) Cf. Migne, Patr. Graec. Tom. 7, col. 380; tum Patr. Lat. Tom. I, col. 200.

explosa (1), in magno tandem lumine saeculi quarti omnino evanuit (2), donec novos rursus assertores in Protestantibus inveniret (3). Hi enim pro certo habentes Ecclesiam Romanam esse meretricem illam de qua Apocal. XVII-3: *mulierem sedentem super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiae, Babylonem magnam, matrem fornicationum et abominationum terrae, mulierem ebriam de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Iesu*: consequenter dixerunt necesse esse referre ad tempora subsequentia destructionem eius, quaecumque de felici Ecclesiae statu apud Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, caeterosque prophetas occurrunt. Et quia in Apocalypsi proponitur regnum mille annorum praecise post iudicium de meretrice magna quae corrupit terram in prostitutione sua, idcirco subsidium idoneum suae doctrinae, seu verius delirii, invenire putaverunt in sententia antiquorum Millenariorum, quam fecerunt suam, et omni ope propugnare studuerunt (4). Tandem extra Protestantismum, hisce nostris temporibus eadem Mille-

(1) Huius rei testis est ipse Iustinus, qui in dialogo cum Triphone, n. 80, haec habet: « Tibi igitur et antea confessus sum, me « et multos alios haec sentire, ita ut omnino perspectum habeamus « sic futurum. *At multos rursus, eosque ex illo Christianorum genere « quod piam et puram sequitur sententiam, id non agnoscere tibi « significavi* ».

(2) « l'apias très ancien auteur, mais d'un très petit esprit, ayant « pris trop grossièrement certains discours des apôtres, que leurs disci- « ples lui avaient rapportés, introduisit dans l'Eglise ce règne de « Jésus-Christ dont il a été parlé, durant mille ans dans une terrestre « Jérusalem magnifiquement rebâtie, où la gloire de Dieu éclaterait « d'une manière admirable, où Jésus-Christ règnerait visiblement « avec ses martyrs résuscités, où à la fin néanmoins les saints « seraient attaqués et leurs ennemis consumés par le feu du ciel, « après quoi se ferait la resurrection générale et le jugement dernier. « Cette opinion disparut dans la grande lumière du quatrième siècle. « en sorte qu'on n'en voit presque plus aucun vestige ». Bossuet, l'Apocalypse avec une explication, c. 20.

(3) Cf. Bossuet ubi supra, et de excidio Babylonis, art. 35.

(4) Circa abusum Apolypseos apud protestantes, haec rectissime observat Bossuet, *Avertissement aux Protestants*, n. 1: « Si « la profanation des Ecritures est toujours un attentat plein de « sacrilège, la profanation des prophéties est d'autant plus criminelle,

narismi opinio a quibusdam catholicis interpretibus satis temerarie renovata est. Quibus fortasse ipsa sua fabulosa indole placuit; placuit et propter apparentem facilitatem explicandi prophetias, quas si eis credas, non sufficienter impletas invenires in Ecclesia quae nunc est.

Sed contra est quod opinio ista, primo quidem omni fundamento caret. Secundo incredibilibus et ineptis fabulis est referta. Tertio aperte contradicit iis quae de ultimo Christi adventu Scripturae nos edocent. Quarto demum nequaquam conciliabilis est cum certissimis revelationis documentis circa tempus et modum futurae mortuorum resurrectionis.

Primo, inquam, omni fundamento caret. Nam, ut Epiphanius ait, Haeres. 77, n. 36: « De hoc millenario tempore ali-« cubi, hoc est in Ioannis Apocalypsi, mentionem fieri... reli-« giosi homines non ignorant. Verum ita complures, iidemque « pii ac spiritualium rerum periti in illius lectione versantur, « ut quae in ipso spiritualem sensum continent accipientes, ve-« ra illa quidem, sed altiori quadam intelligentia explicata fa-« teantur ». Et re quidem vera, symbolicus totius libri character nimis evidens apertusque est, ut nemini non appareat quam futile sit accipere mille annos pro praefixo numero annorum, regnum martyrum cum Christo pro regno terreno et palpabili, civitatem in qua regnabunt pro civitate materiali, et sic deinceps de aliis, praesertim cum in ipso contextu prophe-

« que leur obscurité sainte devait être plus respectée. C'est néan-« moins aux prophéties que les ministres se sont attachés plus qu'à « tous les autres livres de l'Ecriture, *pour y trouver tout ce qu'ils ont « voulu*. L'obscurité de ces saints livres, et surtout de l'Apocalypse, « leur a été une occasion de les tourner à leur fantaisie. Au lieu « d'approcher avec frayeur des ténèbres sacrées dont souvent il « plait à Dieu d'envelopper ses oracles, jusqu'à ce que le temps « de les découvrir soit arrivé, ces hommes hardis ont cru qu'ils « pouvaient se jouer impunément de ce style mystérieux. Leur haine « a été leur guide dans cette entreprise. Ils voulaient à quelque « prix que ce fût, rendre l'Eglise romaine odieuse. Ils en ont fait « la prostituée de l'Apocalypse, et comme s'ils avaient démontré « ce qu'ils ont avancé sans fondement, il n'y a rien qu'ils n'aient « osé sur ce principe »

tiae, regnum et vita attribuantur *animabus decollatorum propter testimonium Iesu et propter verbum* Dei, id est animabus separatis et seiunctis a corpore. Et nos quidem ultro fatebimur, hic non agi de sola coelesti gloria seu regno sanctorum, quia alias imperium illud sempiternum diceretur, et non restringeretur ad mille annos, hoc est ad limitatum tempus. Sed cum dicitur beatas animas mille annis cum Christo regnaturas in resurrectione prima, intelligendum est de earum gloria in Ecclesia militante usque in saeculi finem, ante resurrectionem ultimam. Et haec posthuma gloria sanctorum, « quibus praeclari honores et festa constituta sunt, a quibus daemones « propelluntur et morbi curantur; quorum apparitiones et « praedictiones; quorum vel sola corpora idem possunt quod « animae sanctae, sive tangantur, sive honorentur; quorum « vel solae sanguinis guttae, atque exigua passionis signa idem « possunt quod corpora » (1): haec, inquam, eorum gloria coruscans miraculis, aliisque signis inclarescens, rectissime *resurrectionis primae* nomine decoratur, quia per eam extra numerum eorum qui dormiunt in suis sepulcris fiunt, et iam ex nunc secundum terrestres reliquias, anticipata quadam immortalitatis dote ornantur (2). Unde omnibus modis, nullum in verbis Ioannis: *vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis...*, *haec est resurrectio prima*, pro opinione Millenariorum vel apparens fundamentum.

At secundo, opinio illa omni genere ineptarum fabularum scatet. Quis, quaeso, credet gloriosam Ierusalem quam gloriosus Christus cum sanctis resuscitatis corporaliter inhabitabit, eamque in medio terrae positam ad littus Mediterranei maris, dum reliquae omnes orbis partes mortalibus hominibus sicut nunc incolentur? Patebit forte accessus ad eam, vel non patebit? Si patebit, qualis concursus! Si non patebit, quale miraculum! Quis praesertim concipiet exercitum gentium obsiden-

(1) Greg. Nazianz. Orat. 4, n. 69.

(2) Cf. Damasc. l. 4 de fide orth. c. 15. August. de civit. l. 1, c. 4. et l. 22. per totum, etc., etc.

tem hanc *civitatem dilectam*, pugnantemque contra sanctos invulnerabiles, impassibiles, immortales, et omnibus humanae infirmitatis miseriis exemptos? (1). Quale tandem illud est, quod debeat ignis de coelo descendere ad devorandum hostes qui simul omnes, vel in solo aspectu gloriosorum civium prosterni possent, sicut cum ad apparitionem Filii hominis in gloria sua, Apocal. 1-17, cecidit Ioannes ad pedes eius tanquam mortuus? Omitto interim alia multa non minus absurda, quae videbis, si lubet, apud Irenaeum l. 5, c. 33 (2).

(1) « S'il fallait prendre ici au pied de la lettre une ville où « J. Chr. viendrait régner avec ses martyrs résuscités et glorieux « en corps et en âme, on ne saurait plus ce que voudraient dire « ces nations qui viendraient assiéger la ville où il y aurait un peu- « ple immortel, et un Dieu qui régnerait visiblement au milieu « d'eux... Les ministres même ont si bien senti l'absurdité de faire « attaquer par des nations assemblées un peuple résuscité et une « ville où J. Ch. règnerait avec une si claire manifestation de sa « gloire, qu'ils ont été contraints d'abandonner en ce point la lettre » qui les a trompés ». Bossuet, l. c.

(2) Ibi videbis quod secundum presbyteros qui millenarismi opinionem introduxerunt, in hoc felici mille annorum regno : « Vineae « nascentur, singulae decem millia palmitum habentes, et in una « palmite dena millia flagellorum, et in unoquoque flagello dena « millia botruum, et in unoquoque botru dena millia acinorum, et « unumquodque acinum expressum dabit viginti quinque metretas « vini. Et cum eorum apprehenderit aliquis sanctorum botrum, alius « clamabit: Botrus ego melior sum, me sume, per me Dominum « benedic. Similiter et granum tritici decem millia spicarum gene- « raturum, et unamquamque spicam habituram decem millia gra- « norum... Haec autem et Papias Ioannis auditor, vetus homo, per « scripturam perhibet in quarto librorum suorum... Et adiecit di- « cens: Haec credibilia sunt credentibus... Haec ergo tempora pro- « phetans Isaias ait: *Et compascetur lupus cum agno, et leo et bos « manducabunt paleas*... Hoc autem significat magnitudinem et pin- « guedinem fructuum. Si enim leo animal paleis vescitur, quale « ipsum triticum erit, cuius palea ad escam congrua erit leonum? » Iren. l. c. n. 3-4. Hinc iure meritoque censuit Augustinus l. 20 de civit. c. 7: « De duabus resurrectionibus Ioannes Evangelista « eo modo locutus est, ut earum prima a quibusdam nostris non « intellecta, insuper etiam in quasdam ridiculas fabulas verteretur ». Hieronymus quoque ubique irridet *mille annorum fabulam, et auream atque gemmatam in terris Ierusalem*, vix distinguens inter Cerinthi et Papiae opinionem.

Tertio eadem opinio contradicit iis quae de ultimo adventu Christi diserte traduntur in Scripturis. Ubique enim gloriosus ille adventus ad iudicii diem differendus significatur. *Quem* (Iesum Christum) *oportet quidem coelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a saeculo prophetarum*, inquit Petrus, Act. II-21. Sed quodnam est, quaeso, tempus restitutionis omnium praedictum a Prophetis, nisi universalis iudicii tempus in quo unicuique reddetur secundum opera sua? tempus regenerationis, quando sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, assessoresque erunt apostoli super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel? Si autem Iesus Christus expresse asseritur mansurus in coelo usquedum veniant tempora illa, ergo non redibit in gloria mille annis ante mundi finem, ut volunt Millenarii. Similiter in evangelio, pro eodem semper accipiuntur secundus Christi adventus et consummatio saeculi. *Quod signum adventus tui et consummationis saeculi?* inquiunt discipuli, Matth. XXIV-3. Neque id quidem ex falsis praeiudiciis quibus alias tenebantur, quoniam Christus interrogationi respondens, hanc eorum persuasionem in hac parte omnibus modis confirmat, sicut videre est in descriptione quam subiicit, 29-31. Unde in Symbolo, fidei nostrae proponitur ut qui ascendit ad coelos, et e coelis venturus non est nisi ad iudicandum vivos et mortuos.

Quarto demum, opinio ista duo diversa tempora resurrectionis distinguit, cum tamen Scripturae cogant nos agnoscere unum tempus, quod erit pro sanctis etiam omnibus, novissimus ille dies de quo Iob XIX-25: *In novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum.* Nam Dominus in evangelio ait, Ioan. VI-39: *Haec est voluntas eius qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Haec est autem voluntas Patris qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Et nota univer-

salitatem subjecti: *omne quod dedit mihi, omnis qui videt Filium*. Quae etiam universalitas aequivalenter occurrit vers. 44 et 55, ubi iterum iterumque eadem veritas de resurrectione futura in fine mundi, et non antea, ut Millenariis placet, geminata repetitione inculcatur. Sed et Paulus quoque, 1 Cor. XV-51, omnium mortuorum resurrectionem refert ad sonitum novissimae tubae; quae tuba procul dubio ea est de qua Matth. XXIV-31, cum saeculi consummatio, mundique finis describitur. Atque in his aliisque apertis Scripturarum testimoniis fundatur constans illa ac firma in Ecclesia persuasio, quam omnium catechismorum doctrina commonstrat.

Nec contra praesentem doctrinam de simultanea omnium resurrectione in novissimo die, quidquam faceret probabilis sententia quae vult ut ad vitam gloriosam atque immortalem resurrexerint sancti illi, de quibus sermo est Matth. XXVII-52, cum prodigia quae mortem Christi consecuta sunt recensentur: *Et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis*. Hac enim stante opinione, agnoscendum esset speciale privilegium aliquibus concessum ut resurrectionis Christi comites simul exsisterent et testes (1). Adhuc nulla conclusio est ex verbis Apostoli, 1 Thess. IV-15: *Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera*. Quacumque enim interpretatione admissa, ne apparens quidem pro opinione Millenariorum sumitur argumentum, quoniam qui *resurgent primi*, non mille annis ante caeteros dicuntur resurrecturi, sed sin minus eodem ipsissimo instanti, at salten eodem tempore, videlicet descendente Domino de coelo, in iussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei, ut in hoc ipso loco expresse habetur. Caeterum, quaenam probabilior sit istius loci interpretatio, sequens propositio declarabit.

(1) Vide S. Thom. Suppl. Q. 77, a. 1 ad 3um.

THESIS XII.

Mortem fore omnibus terminum a quo ultimae resurrectionis, longe probabilior sententia est, nec videtur admittenda opinio dicentium futuros aliquos qui immortalitate supervestientur, quin prius cedant legi ab initio latae contra posteritatem Adae: pulvis es et in pulverem reverteris.

Quaestio ista movetur propter eos quos vivos reperiet ultimus mundi dies. Sentiunt enim Patres nonnulli, hos non esse morituros, sed sine morte de vita mortali ad immortalem esse transituros, et de statu corruptibilitatis in statum incorruptibilitatis immutandos. Ita Chrysostomus, Hom. 42 in 1 Cor. n. 2, et alii plures ex Graecis. Ita quoque Hieronymus, epis. 59 ad Marcellam, n. 3, quamquam alibi in partem oppositam magis propendere videatur. Augustinus vero, l. 2 Retract. c. 33 dubitative loquitur: « Aut, inquit, non morientur, « aut de vita ista in mortem, et de morte in aeternam vitam « celerrima commutatione tamquam in ictu oculi transeundo, « mortem non sentient ».

Rationes dubitandi desumuntur primo ex 1 Cor. XV-51, quia ubi Vugata habet: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, graeci codices ferunt: *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur*. Et hanc lectionem satis confirmat id quod statim subiungitur: *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba, canet enim tuba et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur*. Quasi diceret: Qui ante mortui fuerint, resurgent ad beatam incorruptionem. Nos vero qui vivi reperiemur, (in eorum enim persona quos vivos deprehendet iudicii dies, loqui solet apostolus), proprie quidem loquendo non resurgemus, quoniam resurrectio proprie dicta nonnisi mortuorum est; verumtamen in eumdem statum immutabimur ac illi qui resurgent, eo quod in nobis quoque, etsi

non morituris, oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.

Est praeterea locus 1 Thess. IV-15 paulo supra relatus: *Et mortui qui in Christo sunt resurgent primi,* (πρῶτον , *id* est, primum), *deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis,* etc. Ubi sensus esse videtur: mortuos dormientes in Christo primum resurrecturos, tum deinde eos iustos qui vivi reperti fuerint, simul cum resuscitatis a morte, assumendos in gloriosam societatem Christi, rapiendosque obviam ei in aera.

Occurrit denique tertio auctoritas symboli: *Inde venturus est iudicare vivos et mortuos* (1). Hoc enim non potest intelligi quantum ad instans ipsius iudicii, quia tunc omnes erunt vivi. Ergo oportet quod referatur haec distinctio ad tempus praecedens, et ita non omnes ante iudicium morientur.

Sed contra est quod rationabiliter dicit S. Thomas, Suppl. Q. 79, a. 1: « Securior est haec et communior opinio, « quod omnes morientur, et a morte resurgent, et hoc propter « tria. Primo quia magis concordat divinae iustitiae, quae humanam naturam pro peccato primi parentis damnavit, ut « omnes qui per actum naturae ab eo originem ducerent, infe« ctionem peccati originalis contraherent, et per consequens « mortis debitores essent. Secundo quia magis concordat divi« nae Scripturae, quae omnium futuram resurrectionem prae« dicit; resurrectio autem proprie non est nisi eius quod ceci« dit et dissolutum est. Tertio quia magis concordat ordini na« turae, in quo invenimus quod id quod corruptum et vitiatum « est, in suam novitatem non reducitur nisi corruptione me« diante; unde cum natura humana in defectum necessitatis « moriendi devenerit, non erit reditus ad immortalitatem nisi « mediante morte ». Accedit demum quod si Christus mortuuns est, si ipsa Beata Virgo non transiit sine morte ad beatam im-

(1) Item **Act.** X-42. *Ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum.* Et 1 Petr. IV 5 *reddent rationem ei qui paratus est iudicare vivos et mortuos.*

mortalitatem, multo minus immunes erunt quicumque propter contractum originale peccatum legi mortis subiecti sunt, dicente apostolo Rom. X-12: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Ad 1um ergo dicendum quod etiam admissa legitimitate lectionis: *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur*, adhuc non sequitur, eos homines qui residui erunt in adventu Domini, a lege mortis esse eximendos. Dormituri enim ab Apostolo nunc dicuntur illi omnes et soli qui futuri sunt *in statu mortuorum*, quiescentes ac vere pausantes in morte quasi in ultimo termino motus quo fuerint e vivis sublati. Huius autem conditionis non erunt illi quos vivos deprehendet ultima mundi dies. Cum enim mortem eis allatura sit ipsa causa praeparatoria universalis renovationis, et veluti primus clangor tubae quae in dormitoriis suis mortuos expergefaciet, ideo mors eis non erit pro termino motus, sed magis pro initio palingenesis.

Sensus igitur esset: *Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem non dormiemus*, illa scilicet dormitione qua pausatur et quiescitur in morte. *Sed omnes immutabimur*, ea immutatione de qua supra dictum est: « Seminatur in corruptione, surget in virtute. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria ». De iis enim solis nunc loquitur Paulus qui futuri sunt de numero electorum. *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba, canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Hoc est: et nos quoque quos extrema dies inveniet vivos, eiusdem incorruptionis efficiemur participes, sed in ea resurrectione quae non tam resurrectionis quam simplicis immutationis rationem sit habitura, eo quod non erit a mortuis secundum communem statum et conditionem mortuorum.

Ad 2um dicendum quod Apostolus scribens ad Thessalonicenses, corrigit errorem quorumdam qui opinabantur meliorem fore conditionem eorum quos residuos reperiet dies adventus Christi, quam aliorum ante defunctorum. Contristabantur

enim super defunctos istos, aut quasi nullo modo resurrecturos, aut quasi non habituros partem in gloria diei Domini. Utramque igitur opinionem destruit Apostolus. Primam ubi ait: *Si enim credimus quod Iesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.* Alteram vero, ubi consequenter adiungit: *Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos qui dormierunt.* Et ad huius rei declarationem docet quod descendente Domino de coelo, primum fiet resurrectio dormientium deinde vero simultaneus eorum et aliorum electorum raptus obviam Christo in aera. Non ergo consequens est quod residui in adventum Domini non sint revera morituri, quia si in textu apostoli contradistinguuntur a resurgentibus mortuis, ratio, eadem est ac supra, in responsione ad 1um, praeterquam quod nulla de illis quaestio movebatur nisi quoad ordinem prioritatis in coniunctione ad Christum. Quam solam prioritatem removere intendit Apostolus, cum sermonem concludit dicens: *Simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini invicem in verbis istis.*

Ad 3um denique dicendum quod impossibile est ut distinctio inter vivos et mortuos quos Christus venturus est iudicare, referatur ad ipsum instans iudicii, ut omnes concedunt. Oportet igitur ut referatur ad aliquod tempus antecedens. Gratis autem et sine fundamento diceretur referri ad tempus quod erit omnino immediate ante iudicandi actum, sed satis est ut cadat super tempus incipientis apparatus iudicii, videlicet cum incipiet dies Domini *in igne revelari*, ut habetur 1 Cor. III-13. « Dicendum, inquit S. Thomas ubi supra, ad 1 um. quod distinctio illa mortuorum et vivorum non est referenda ad ipsum « iudicii tempus, neque ad totum tempus praeteritum, quia « omnes iudicandi aliquo tempore fuerunt vivi, et aliquo tem« pore mortui, sed ad illud tempus determinatum quod immc« diate iudicium praecedet, quando scilicet iudicii signa inci« pient apparere ».

Haec quidem de termino *a quo futurae* resurrectionis. Succedit iam paulo difficilior quaestio de termino *ad quem*.

THESIS XIII.

Regula fidei aperte tradit corpora resurgentium fore eadem ac prius, tum specie tum numero, sed undenam numerica identitas repetenda sit, diserte non determinat. Videretur autem satis illa repeti ex identitate animae, cui quaecumque materia accedat secundum successionem temporis, semper idem manet homo, idemque numero corpus simpliciter.

§ 1.

Omnes heterodoxae circa resurrectionem opiniones ab Origene descenderunt. Dixit Origenes in pluribus locis, et maxime in libro Resurrectionis quarto, et in expositione primi Psalmi, et in Stromatibus, ut refert Hieronymus, duplicem errorem versari in Ecclesia: nostrorum et haereticorum. Haereticorum quidem, id est Marcionis, Valentini et Manichaei, qui resurrectionem penitus de medio tollebant. Nostrorum vero, id est idiotarum rustica simplicitate deceptorum, qui in resurrectione soliditatem carnis, sanguinis liquorem, venarum perplexionem, et ossium duritiem agnoscunt. Porro contra hanc simplicium sententiam multum excandescit Origenes, ubique sugillans eos quos *philosarchas* vocat, affirmantes eadem ossa et sanguinem et carnem, id est vultum et membra, totiusque compaginem corporis resurgere in novissimo die. Existimat enim hinc consequi quod et comedendum nobis foret et bibendum, digerenda stercora, effundendus humor, ducendae uxores, liberi procreandi. Quo enim venter, si escae amplius non erunt? Quo dentes, si cibi non molendi sunt? « Et vis « rursum, carnem, ossa, sanguinem, membra, ut crescentibus « capillis tonsore egeas, nasus pituitas digerat, incrementa un- « guium resecanda sint?... Si affers istas ineptias rusticorum, « carni in qua Deo placere non possumus, quasi inimicae obli-

« visceris, et resurrectionis mortuorum : *Seminatur in corru-*
« *ptione, surget in incorruptione* ». Tum proprium dogma adstruens : « Nunc, inquit, oculis videmus, auribus audimus, « manibus agimus, pedibus ambulamus. In illo autem cor- « pore spirituali toti videbimus, toti audiemus, toti operabi- « mur, toti ambulabimus, et transfigurabit Dominus corpus hu- « militatis nostrae, conforme corporis suae gloriae. Quando « dixit *transfigurabit* (id est μετασχηματίσει, membrorum qui- « bus nunc utimur diversitas denegatur. Aliud nobis spi- « rituale et aethereum promittitur, quod nec tactui subiacet, « nec oculis cernitur, et pro locorum in quibus futurum est, « varietate mutabitur... Nec vos, o simplices, resurrectio Do- « mini decipiat, quod latus et manus monstraverit, in littore « steterit, in itinere cum Cleopha ambulaverit, et carnes et « ossa habere se dixerit. Comedit post resurrectionem suam et « bibit, et vestitus apparuit, tangendum se praebuit, ut dubi- « tantibus apostolis, fidem faceret resurrectionis. Sed tamen « non dissimulat naturam aerei corporis et spiritualis. Clausis « enim ingreditur ostiis, et in fractione panis ex oculis eva- « nescit » (1).

Hic igitur error est, apud Origenis asseclas diu deinceps perseverans, quem magno consensu confutavere Patres, speciatim vero Epiphanius in Haeres. 64, Hieronymus ubi supra, Augustinus l. 22 de civit., postea Gregorius Magnus in l. 14 Moralium, narrans quomodo ipsemet a Pelagio Papa legatus Constantinopolim missus, revocasset ab errore Eutychium patriarcham qui scripserat contra veram ac tractabilem corporum resurrectionem : « Quia non sicut Eutychius Constantino- « politanae urbis episcopus scripsit, corpus nostrum in illa re- « surrectionis gloria erit impalpabile, ventis aereque subtilius... « Qui cum eidem Eutychio in Constantinopolitana urbe posi- « tus, evangelicae veritatis testimonium protulissem (Luc.

(1) Apud Hieronymum, l. contra Ioannem Hierosolymitanum, n. 25 et sq. Alibi vero, corpora resurgentium sphaerica futura autumat Origenes.

« XXIV-39), ait: Idcirco Dominus hoc fecit, ut dubitationem « resurrectionis suae de discipulorum cordibus amoveret. Cui « inquam: Mira est res valde quam adstruis, ut inde nobis du- « bietas surgat, unde discipulorum corda a dubietate sanata « sunt... Tunc itaque de hac re in longa contentione deducti, « gravissima a nobis coepimus simultatione resilire, etc. ». At tandem Gregorii rationibus convictus Eutychius, cum iam esset morti proximus, pellem manus suae tenebat dicens: Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus (1).

Idem denique error est, qui in definitionibus Conciliorum et professionibus fidei ubique excluditur. *Confitemur vera fide*, inquiunt Patres Concilii Toletani XI, *resurrectionem carnis omnium mortuorum; nec in aerea vel qualibet alia carne, ut quidam delirant, surrecturos nos credimus, sed in ista qua vivimus, consistimus, et movemur.* Et Concilium Lateranense IV, cap. Firmiter: *Qui omnes* (tam reprobi quam electi) *cum suis propriis resurgent corporibus quae nunc gestant.* Et in professione fidei Waldensibus imposita: *Corde credimus et ore confitemur huius carnis quam gestamus, et non alterius resurrectionem.* Et in canonibus qui hactenus Concilio quinto attribuebantur: *Si quis dixerit Domini corpus post resurrectionem fuisse aethereum et figura sphaerica, et quod talia etiam reliquorum post resurrectionem futura sunt corpora, anathema sit*, etc. etc.

Elegantissime autem Hieronymus catholicam veritatem praefato errori oppositam defendit et demonstrat ex prophetia Iob, XIX-23, sequentibus verbis: « Tonet Iob tormentorum vi- « ctor, et testa radens putridae carnis saniem, miserias suas « resurrectionis spe et veritate soletur... Quid hac prophetia « manifestius? Nullus tam aperte post Christum, quam iste « ante Christum de resurrectione loquitur. Vult verba sua in « perpetuum durare, et ut nulla possint vetustate deleri, exa- « rari ea vult in plumbi lamina, et sculpi in silice. Sperat re- « surrectionem, imo novit et vidit quod vivit Christus redem-

(1) L. 14 Moral., n. 72-74.

« ptor eius, et in novissimo die de terra resurrecturus sit. Il-
« lud vero quod infert : *Et rursum circumdabor pelle mea, et*
« *in carne mea videbo Deum*, puto quod non loquatur quasi a-
« mator carnium quas putridas fetentesque cernebat, sed ex fi-
« ducia resurgendi contemnit praesentia solatio futurorum. Rur-
« sum ait : *Circumdabor pelle mea.* Ubi hic corpus aethereum?
« ubi aereum, et spiritui et aurae simile? Certe ubi pellis et
« caro, ubi ossa et nervi, et sanguis et venae, ibi carnis stru-
« ctura, ibi sexus proprietas. *Et in carne*, inquit, *mea videbo*
« *Deum.* Quando omnis caro videbit salutare Dei, et Iesum
« Deum, tunc et ego videbo Redemptorem et Salvatorem et
« Deum meum. Videbo autem in ista carne quae me nunc cru-
« ciat, quae nunc prae dolore distillat. Idcirco Deum in carne
« conspiciam, quia omnes infirmitates meas sua resurrectione
« sanavit. Nonne tibi videtur iam tunc Iob contra Origenem
« scribere, et pro carnis veritate, in qua tormenta sustinuit, al-
« terum contra haereticos habere certamen? Dolet enim, si tanta
« sit frustra perpessus, et alia spiritualiter resurgente, ista
« carnaliter cruciata sit. Unde inculcat et exaggerat... dicens :
« *Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et*
« *non alius.* Is si non sexu suo resurrecturus est, si non eisdem
« membris quae iacuere in stercore, si non eosdem oculos ape-
« riat ad videndum Deum, quibus tunc videbat vermiculos, ubi
« erit ergo Iob? Tollis ea in quibus subsistit Iob, et donas mihi
« inane vocabulum resurgentis, quo modo si navem post nau-
« fragium restitutam velis, ac neges singula de quibus navis
« construitur » (1). His rationibus deinde accedunt evange-
lica documenta de resurrectione Christi, quae fuit typus et
exemplar resurrectionis nostrae. Accedit et ipsum resurrectio-
nis nomen, quo nihil aliud importatur nisi secunda eius quod
cecidit erectio. Ipsum ergo corpus quod corrumpitur et dissol-
vitur, idemmet resurget incorruptum, ut concludit Damasce-
nus l. 4, c. 27.

Ad rationes vero Origenis dicendum quod consequentiae

(1) Hieronymus, l. contra Ioannem Hierosolymitanum, n. 30.

non sunt in praemissis. Non enim sequitur: Erit idem specie et numero corpus; ergo iisdem quibus nunc qualitatibus subiectum; ergo nullis ornatum dotibus quae statum incorruptibilitatis constituant. Sicut proportione servata, non sequitur: Corpus Adam in paradiso innocentiae fuit ab omni concupiscentia immune; ergo aliud fuit tum specie tum numero corpus post peccatum.

Simili quoque modo non sequitur: Resurget homo cum omnibus membris quae nunc habet, quaeque ad naturae humanae veritatem pertinent; ergo omnium ac singulorum usus erit in resurrectione, et falso dixit Christus quod neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in coelo. Sapienter enim respondebit Angelicus quod membra possunt dupliciter considerari in comparatione ad animam, vel secundum habitudinem materiae ad formam, vel secundum habitudinem instrumenti ad agentem. — Si sumantur primo modo, finis eorum non est operatio, sed magis perfectum esse speciei, quod etiam in resurrectione requiretur. « Est enim comparatio animae ad « corpus, sicut artis ad artificiatum. Quidquid autem explicite « in artificiato ostenditur, hoc totum implicite et originaliter in « ipsa arte continetur. Similiter etiam quidquid in partibus « corporis apparet, totum originaliter et quodammodo implicite in anima continetur. Sicut ergo artis opus non esset perfectum, si artificiato aliquid deesset eorum quae ars continet, « ita nec homo posset esse perfectus, nisi totum quod in anima « implicite continetur, exterius in corpore explicaretur; nec « etiam corpus animae ad plenum proportionaliter responderet. Cum ergo oporteat in resurrectione corpus hominis esse « animae totaliter correspondens, quia non resurget nisi secundum ordinem quem habet ad animam rationalem, oportet « etiam hominem perfectum resurgere, utpote qui ad ultimam « perfectionem consequendam reparatur. Oportet ergo quod « omnia membra quae nunc sunt in corpore hominis, in resurrectione reparentur » (1). — Si autem accipiantur membra

(1) S. Thomas, Suppl. Q. 80, a. 1, in corp.

secundum habitudinem instrumenti ad agentem, sic ordinantur quidem in operationem sicut in finem. « Nec tamen sequi-« tur quod quando deficit operatio, frustra sit instrumentum, « quia instrumentum non solum servit ad exsequendam opera-« tionem agentis, sed etiam ad ostendendam virtutem ipsius. « Unde oportebit ut virtus potentiarum animae in instrumentis « corporeis demonstretur, etsi nunquam in actum prodeant, ut « ex hoc commendetur Dei sapientia » (2).

§ 2.

Hactenus quidem veritas *resurrectionis*, (id est instaurationis integri hominis, eiusdem tum specie tum numero cum eo qui fuerat prius), quam oportet fideliter firmiterque et corde credere et ore confiteri. At nunc de scientifica huius dogmatis expositione inquiritur, et iam nihil invenitur determinatum in regulis fidei, sed opinionibus datur locus, quae et multiplices in hac parte prodierunt, sicut videre est apud S. Thomam in Suppl. Q. 80. a. 4. Res enim est valde obscura, quia obscurum nobis generatim est omne id quod ad individuationem pertinet; obscurius id quod pertinet ad individualitatem corporis humani, in quo, *quamdiu vivit, non semper sunt eaedem partes secundum materiam, sed solum secundum speciem; secundum vero materiam partes fluunt et refluunt* (3); obscurissimum denique id quod pertinet ad individualitatem restituendam, postquam fuit semel per mortem destructa. In hac igitur re obscurissima si nobis quoque quod verius visum est proponere licet, benevolo lectori eas quae sequuntur subiicimus animadversiones.

Certe si humanum corpus substantia esset seorsum ab anima, in esse corporeo aliunde constitutum; si idem specie et numero permanere posset tam in statu separationis quam in statu coniunctionis; si denique atomis constaret sive moleculis, ad sensum eorum quibus recentiorum physicorum hypotheses

(2) S. Thom., ibid., ad 1um.

(3) L. 4 c. Gentes, c. 81.

seu coniecturae in hac parte placuerunt: tunc profecto consequens foret impossibilem esse identitatem resurgentium, nisi iisdem in individuo atomis restitutis, iisdem moleculis, iisdem denique signatis partibus ex quibus constabat exanime cadaver, cum primum ab anima dissociatum ac veluti distractum fuit. Tunc quoque locum haberent infinitae illae quaestiones, eaedemque molestissimae, quibus dogma resurrectionis solet impugnari; quaestiones de anthropophagis, praesertim qui ex anthropophagis nati, solas humanas carnes per totam vitam manducarunt; quaestiones de hominibus devoratis ab animalibus, quorum deinde carnibus homines caeteri vescuntur: quaestiones de cadaveribus quae terrae mandata, convertuntur in humum, tum in herbas, in legumina, in frumenta, vel quoslibet fructus humanae nutritioni idoneos; quaestiones demum in quibus pene deficeret dies, propter incessabilem materiae circulationem, per quam ex quolibet quidlibet fit, et rursus quidlibet transit in quodlibet. Proinde si de atomis seu moleculis *suam individualitatem simul cum propria substantialitate sub qualibet forma servantibus* sermo sit, tunc iure meritoque quaeritur quomodo in iisdem corporibus resurgent illi qui ex alieno toti constabant. Aut si isti, quomodo alii a quibus commodatam et veluti mutuatam habebant substantiam. Nisi forte malueris dicere, non fore unde creditores a debitoribus secernantur et veri membrorum proprietarii ab iniustis eorumdem usurpatoribus; ideoque multos pro uno eodemque corpore vel membro competitores aequo iure in novissimo die accessuros.

Sed nunc, praesupposita vera doctrina de composito humano, de materia pura potentia, et de anima rationali per quam homo non solum est homo, sed animal, et vivum, et corpus, et substantia, et ens (1): si forte ad simpliciter dictam resurgentis identitatem requiri diceretur reassumptio huius signatae materiae quae nunc sub hac forma et his dimensionibus est, potius quam alius cuiuscumque sub hac alia forma hisque aliis dimensionibus hic et nunc etiam exsistentis, fateor

(1) S. Thom. de Spir. Creatur. a. 3.

me non amplius intelligere connexionem doctrinae, nec cohaerentiam perspicere quae esse debet inter conclusiones et principia. Re enim vera, sicut ex diversis formis in eadem materia sibi invicem succedentibus diversa resultant individua, ita quoque, dum uni eidemque formae alia atque alia materia subiicitur, unum atque idem permanet individuum. Anoquin, qui prius erat puer, et nunc factus est vir, non esset idem numero homo, quod absit omnino. Praeterea, cadaver differt a corpore prius vivo tam quoad esse essentiae quam quoad esse exsistentiae; materia eius transcendentaliter iam refertur ad novam formam sub qua facit novum novae speciei individuum. Denique si quaeras undenam materia cadaveris realem aliquam relationem servet ad priorem personam, sitque nunc Titii vel Socratis secundum rem, magis quam individuorum in quibus erat antequam Titius ad exsistentiam veniret, vel a quibus in Titium transiit sive per generationem sive per accessionem nutritionis: puto te nusquam inventurum.

Et nota bene sermonem nunc esse de aliqua relatione reali adhuc perdurante, quae sola esse potest ad rem in praesenti, si tamen non somnias maiorem requiri identitatem inter Titium resurgentem et Titium in ultimo mortalis vitae constitutum, quam quae fuit inter Titium nascentem, adolescentem, senescentem, et morientem. Alia autem est relatio rationis fundata in hoc quod cadaver *continuat materialiter et ad sensum* suppositum prius exsistens. Quae quidem rationis relatio facit ut communi omnium hominum consuetudine et usu, hoc numero cadaver semper habeatur ut corpus Titii, et pro tali in officiis sepulturae honoretur. Praebet quoque fundamentum cultus reliquiarum, qui totus relativus est, et totus transit ad personam seu principalem illam personae partem quae identica permansit, id est ad animam. Veneramur enim reliquias sicut veneramur imagines. Item pro reliquiis computamus non solum corpora vel corporum partes, sed et vestes et autographa et quaecumque ad usum defunctorum erant. Quod si aliquae reliquiae prae aliis uti insigniores aestimantur, hoc ideo est quia

secundum illam quae sensui apparet continuationem, propius ac vicinius suppositum attingebant. Denique in inanimatis cineribus resurrecturos sanctos colimus, eadem fere mente eodemque animo quo mortuis interdum adhibemus honorem luminum et incensi in tumulis etiam vacuis, in quibus quadam fictione juris includi supponuntur. Sed sicut omnes praedictae rationis relationes nequaquam efficere possunt ut corpora mortuorum non sint vere *individua nova, omnino condistincta et condivisa ab individuis quae erant prius*, ita nec possunt efficere ut ad simpliciter dictam identitatem resurgentium in novissimo die, necessaria sit assumptio materiae nunc signatae in hoc potius quam in alio quocumque sive individuo sive individuorum aggregato.

Considerandum itaque quod ubi est eadem forma, idem est ens et idem esse, adeo ut nihil ultra requiratur ad unitatem individualem simpliciter. Hinc enim est quod puer et vir non sunt duo individua, sed unum atque idem, non obstantibus omnibus mutationibus factis in materia. Nam dum puer fit vir, saepius deperditur tota eius materia, et alia substituitur, et est vere alia in ratione materiae, sed trahitur ad unitatem suppositi per hoc quod semper uni formae subiicitur. Cum igitur Deus possit facere in instanti id quod natura facit cum motu, potest quoque facere ut vere resurgat mortuus, ne unam quidem habens partem materiae quam habebat ante mortem. Potest etiam facere ut loco parvuli resurgat adultus, et ille idem adultus quoad corpus et materiam, qui tunc exstitisset si certo annorum numero vixisset infans defunctus. Et ideo, a primo ad ultimum, sat manifestum esse videtur quod ad resurgentium corporum identitatem sufficiet identitas formae seu animae, quin oporteat nos, ut dogma resurrectionis sartum tectumque permaneat, de identitate quoque materiae qua moriens homo constabat, et qua reconstituetur surgens a mortuis, nunc esse sollicitos.

§ 3.

Sed erit fortasse qui dicat: *Materia signata quantitate est individuationis principium. Ubicumque autem est aliud et aliud individuationis principium, aliud quoque et aliud individuum sit necesse est. Ergo si materia resurgentium non est omnino eadem cum materia qua morientes constabant, neque etiam idem numero erit corpus cum eo quod fuerat prius.*

Respondeo: *Dist. mai.* Materia signata quantitate est individuationis principium, quatenus principium est distinctionis qua individuum corporeum numerice distinguitur pro unoquoque nunc temporis, ab omnibus aliis individuis quae tunc sunt simul cum eo in universo corporeo, *conc. mai.* Quatenus principium est indivisionis qua individuum corporeum, pro successivis temporis differentiis, permanet in se indivisum, sibique identicum, *neg. mai.* Et concessa minore intellecta de principio individuationis formaliter accepto prout et in quantum exercet individuandi officium, negatur plane conclusio, quae si esset vera, consequens iam esset, nullam esse posse apud nos permanentem individualitatem in corpore humano et aliis viventibus, in quibus, *non semper sunt eaedem partes secundum materiam, sed solum secundum speciem; secundum vero materiam partes fluunt et reftuunt,* ut dicit S. Thomas loco superius citato.

Sciendum igitur est, materiam esse principium individuationis, pro quanto ex ea oritur divisibilitas, et consequenter multiplicabilitas individuorum in eadem specie. Et ideo individuum corporeum semper dividitur et distinguitur ab aliis individuis simul cum ipso exsistentibus, ratione huius signatae materiae in qua nunc est constitutum. Sed sicut minime sequitur, ergo in eadem signata materia idem semper individuum erit, (nam veniente alia forma substantiali, succedet aliud ens et aliud individuum): ita e converso non sequitur, ergo remota hac signata materia, et alia loco eius substituta, eo ipso fit individuum aliud ab eo quod erat prius. Si enim permanet

eadem forma, permanebit idem numero ens, idem numero corpus simpliciter, quod adhuc distinguetur a caeteris individuis corporeis pro tunc exsistentibus, per materiam signatam quae pro tunc quoque in ipso erit. Nulla igitur est aut esse potest ex hac parte argumenti consequentia.

Instabis tamen et dices: *Esto quod in resurrectione identitas animae satis esset ad identitatem corporis simpliciter. Sed adhuc intelligitur identitas perfectior, tam secundum materiam quam secundum formam. Atqui haec est identitas absoluta et totalis, sese extendens etiam ad materiam, quam modus loquendi Scripturae et Patrum ubique videtur insinuare.*

Respondeo, Scripturam nihil aliud nos docere nisi resurrectionem mortuorum, id est reconstitutionem hominis secundum corpus, et quidem eiusdem numero hominis qui fuerat prius, sicut ipsum per se indicat resurrectionis nomen. Et ad huiusmodi reconstitutionis veritatem satis est identitas entitativa et simpliciter dicta hactenus declarata. Quod si Patres et Concilia multum insistunt in hoc, quod resurrectio erit in ea ipsa carne quam nunc gestamus, in qua nunc vivimus, in qua nunc consistimus et movemur, non huc spectant locutiones illae, ut adstruant necessitatem identitatis etiam pure materialis, quae ex sese satis indifferens esse videtur. Sed apponuntur ad excludendum errorem eorum qui post Origenem dicebant corpora resurgentium fore corpora aerea, spiritui et aurae similia, quae nec tactui subiacerent, nec oculis cernerentur, nec membrorum varietate constarent, adeoque corpora non carnea, non humana, sed alterius speciei, alteriusque substantiae. De quo quidem fidem abunde faciunt testimonia antiquae traditionis superius § 1 relata.

Accedit quod locutiones Patrum et Conciliorum eam ponunt identitatem, quae erit totius corporis resurgentis, et non cuiusdam eius partis tantum. Si ergo haec identitas necessario intelligi debet de identitate quae sit etiam secundum signatam materiam, oportebit quoque ut restituatur in omni resurgente tota et sola materia quae antea in corpore mortali erat, ne sci-

licet resurgat (*iuxta praedictum identitatis modum*) corpus partim idem et partim non idem. Quo semel posito, iam quaeritur quomodo in ea carne quam gestarunt, resurgere poterunt illi qui aut necdum nati, aut recentes ab uteris matrum sunt mortui, et tamen mensuram hominis perfecti in futura resurrectione procul dubio consequentur. — Insuper, si restituitur materia quae fuit in corpore senis, resurgens corpus non erit identicum cum corpore iuvenis; et vice versa, si ea quae fuit in corpore iuvenis, non erit identicum cum corpore senis. Atqui regula fidei docet nos resurrecturos in ea carne quam nunc gestamus, nullo discrimine facto inter varias vitae nostrae mortalis aetates. Signum igitur est quod identitatem praedicat praescindentem ab identitate pure materiali, et consentaneam naturae corporis humani, quod anima immortali informatum, semper est corpus simpliciter idem, quidquid sit de mutationibus quae in eo secundum materiam accidunt vel accidere possunt.

Dices iterum: *Resurrectio Christi fuit exemplar resurrectionis nostrae, iuxta doctrinam Apostoli et consentientem totius Traditionis sensum. Sed in resurrectione Christi omnino debitum fuit ut anima reuniretur eidem materiae signatae a qua in morte fuerat separata. Ergo hoc idem in resurrectione nostra contingat necesse est.*

Respondeo: *Dist. mai.* Resurrectio Christi fuit exemplar resurrectionis nostrae quoad terminum ad quem, *conc. mai.* quoad terminum a quo, *subdist.* Iis tamen conditionibus exceptis quae pendent a peculiari et propria conditione in qua fuit corpus Christi mortuum, iterum *conc. mai.* Alio modo, *neg.* Et concessa minore, negatur conclusio, in qua valde notandum discrimen inter Christum et nos penitus negligitur. In Christo enim corpus seiunctum ab anima semper fuit idem suppositum, et materia eius signata permansit hypostatice unita Verbo. Huic ergo signatae materiae, et non alii, resurrectio debebatur. Sed in morte caeterorum hominum materia efficitur alterius suppositi, et iam non magis est personae defunctae,

quam omnis illa alia materia quae per totum corruptibilis vitae spatium quotidiano fluxu fuit deperdita. Unde, quoad necessitatem reassumptionis in futura resurrectione, omnino non est eadem ratio, ut constat.

Adhuc tamen instabis: *Ecclesia honorem adhibet corporibus defunctorum, et iubet ea conservari, penitusque reprobat incinerationis morem. Consecrat quoque coemeteria tamquam loca pia in quibus iacent mortui exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. Denique vult ut non contristemur sicut et caeteri qui spem non habent, sed sepulcra eorum quos amissos lugemus, fideli cultu frequentemus velut quae exuvias continent aliquando de terra surrecturas. Non igitur dubitat quin ipsa materia quae in defunctorum cadaveribus est, sit in novissimo die animae reunienda.*

Respondeo in primis, non esse consequens ex hactenus dictis, quod materia cadaverum non reassumetur de facto in ultima resurrectione. Sed solum sequitur, minime opus esse ut singulus quisque resurgat in ea signata materia quam moriens deposuit, ac proinde, difficultates quae fiunt ex hoc quod materia eadem vel fuerit vel esse potuerit multis individuis secundum successionem temporis communis, posse omnino negligi, utpote dogma resurrectionis in regula fidei propositum nequicquam attingentes.

Sed insuper dico, rationes allatas intentum non demonstrare. Honorat quidem Ecclesia corpora defunctorum, sed in huius honoris delatione attendit personas hominum quiescentium in Christo, quibus certa spes est reassumendi corpora in beata immortalitate, quidquid sit an corpora reassumenda constare debeant ea ipsa materia signata quae nunc in cadaveribus est. Reprobat quoque cadaverum incinerationem. Non quod, uti evidentissime patet, incineratio prae simplici inhumatione quidquam in se continere possit, quod re vera contrarietur futurae resurrectioni vel quoad substantiam vel quoad modum. Sed quia incinerationis mos ex paganismo renovatus

est in odium ritus christiani; quia removet salubrem mortuorum memoriam simul cum admonitione vitae futurae; quia praesertim a suis auctoribus fuit adinventus ut persuaderent nihil de homine remanere post obitum, nullam esse expectandam ruinae instaurationem, sed totum ultimo ac definitive redire in massam communem unde primum fuerat extractum. Uno demum verbo, omnia quae ad cultum defunctorum ordinavit Ecclesia, vel ad suffragia purgantium animarum pertinent, vel ad eruditionem viventium, quibus per omnem modum inculcanda erat fides ac spes resurrectionis beatae. Sed sicut in delatione honorum sepulturae non intenditur absolute haec numero persona quae forte de reprobis est, ita et a fortiori non intenditur haec signata materia, quia invariata semper manet significatio cultus et formalitas, sive in hac eadem resurgant mortui, sive in alia.

§ 4.

Ultimo tandem quaeri posset an futurum sit ut corpora in resurrectione suis notis individuantibus, suisque characteristicis lineamentis seu propriis habitudinibus insigniantur. Et ratio dubitandi est quia cum omnes animae humanae aequales sint, individuales differentiae non proveniunt nisi ex diversis materiae dispositionibus in naturali generatione praeinductis. Quia ergo in resurrectione materia nuda reunietur praeexsistentibus animabus, nullo habito respectu praecedentium dispositionum quae ad miraculosam reconstitutionem corporum nihil amplius facere possunt, sequitur omnia ad uniformitatem redigenda, et typos seu characteres individuales prorsus esse abolendos.

Respondeo negando principium super quo tota ratiocinatio superstruitur, videlicet: omnes animas humanas esse aequales, et perfectionis uniformis. Nam re melius considerata, veritas omnino habere videtur, tot esse individuales characteres animarum secundum se, quot sunt et corporum, quamquam

individualis animae perfectio eatenus ex dispositione corporis cui in naturali generatione fuit infusa, dependeat, quatenus creata est a Deo haec anima, huic corpori sic vel sic disposito proportionaliter correspondens. « Sciendum quod sicut sunt « unius speciei omnia corpora humana, et tamen ista unitas « specifica latitudinem diversorum graduum individualium ad- « mittit, dum unus est bene complexionatus... sic et cum uni- « tate specifica animarum stat diversitas graduum individua- « lium ipsarum, ut sicut unum corpus est alio substantialiter « perfectius individualiter, ita una anima sit altera individua- « liter nobilior, ac per hoc sit unus homo altero praestantiori « ingenio. Formae enim individuae creantur commensuratae « substantialiter corporibus, ita quod per commensurationem « ad hoc corpus haec anima ab illa individualiter distinguitur. « Unde sicut unum corpus est altero nobilius complexionatum, « ita unam animam altera nobiliorem esse oportet. Nec tamen « unus homo propter hoc est magis homo altero, licet sit per- « fectior homo, quoniam hoc vocabulo *magis* non utimur nisi « in formis in quibus accidit mutatio inter magis et minus; « quod non accidit in anima intellectiva, quoniam unaquaeque « eam perfectionem substantialiter quam a principio accepit, « immutabiliter conservat » (1). Sic igitur, anima individua- tionem habet per ordinem suum ad materiam prout hoc vel illo modo dispositam, cum corpori infunditur et in locum om- nium praecedentium formarum introducitur. Manifestum est autem quod individualitas et proprius character individuali- tatis semper manet in anima, etiam postquam fuerit a corpore separata. Manifestum quoque quod cum anima sit per essentiam suam corporis actus seu forma, semper comparatur ad corpus sicut ars ad artificiatum, quemadmodum supra notatum est ex S. Thoma in Suppl. Q. 80, a. 1. In ultima ergo resurrectio- ne, dum materia in quocumque individuo vel individuorum aggregato praeinventa, divina operante virtute animae reu-

(1) Ferrariensis in 1 c. Gent. c. 3. — Cf. S. Thomam in prima Parte, Q. 85, a. 7, et in II, Dist. 22, Q. 2, a. 3.

nietur, idem semper numero corpus resurget, iisdem propriis signatum characteribus, tametsi futurum sit ut corrigantur omnia vitia, omnes errores naturae, omnes deformitates a rectitudine typi individualis deviantes (1), omnes denique defectus qui plenitudinem evolutionis in hoc praesenti mortalitatis statu vel antecedunt vel sequuntur (2).

THESIS XIV.

Omnibus hominibus commune futurum est ut eam immortalitatem consequantur, quae in impossibilitate iterum moriendi consistet, adeoque pro semper, excludet omnem usum tam nutritivae quam generativae virtutis, simul cum animalibus delectationibus annexis. At proprium corporibus gloriosis erit ut quatuor principalibus dotibus ornentur, impassibilitate scilicet, subtilitate, agilitate, et claritate, in quibus Christo resurgenti a mortuis perfecte configurabuntur.

Duplex est immortalitas, ut late exponit Augustinus I. 6 operis imperfecti contra Iulianum, c. 30. Una quae fuit hominis in statu innocentiae, et constabat, non tam proprie dicta

(1) Ad rem S. Thomas, Suppl. Q. 81, a. 3, quarens utrum omnes in eadem statura resurgent: In resurrectione non solum attendum est quid competat *naturae speciei*, sed quid competat *naturae individui*. Natura autem speciei habet aliquam quantitatem quam nec excedit, nec ab ea deficit absque errore; quae tamen quantitas habet aliquos gradus latitudinis, et non est accipienda secundum unam mensuram determinatam. Unumquodque autem individuum in specie humana assequitur infra terminos huius latitudinis aliquem gradum quantitatis quae competit naturae individui. Et ad hanc perducitur in termino augmenti, si non fuerit aliquis error in opere naturae, per quem sit aliquid additum vel subtractum praedictae quantitati... Et ideo non omnes resurgent in eadem quantitate, sed quilibet resurget in illa quantitate in qua fuisset in termino augmenti, si natura non errasset vel defecisset. Quod autem superest vel deficit in homine, resecabit vel supplebit divina potentia ».

(2) Hinc idem S. Thomas art. praeced. docet quod reducetur humana natura ad statum ultimae perfectionis, qui est in iuvenili aetate, ad quam terminatur motus augmenti, et a qua incipit motus decrementi.

incorruptibilitate, quam potentia persistendi in actuali incorruptione, propter vim quamdam supernaturaliter divinitus animae datam, qua anima poterat repellere vel vincere omnes corruptionis causas (quibus caeteroquin corpus erat per se obnoxium), quamdiu ipsa Deo subiecta remansisset. Unde haec immortalitas solum conferebat *posse non mori*. Alia vero est tollens ipsam radicem corruptionis, dum anima eo modo informat materiam, totaliter ei dominando, eamque sibi subiiciendo, ut ex ipsa informandi ratione sequatur impossibilitas cuiuscumque dissolutionis compositi. Proinde immortalitas ista non iam confert *posse non mori*, sed quod longe diversum est, *non posse mori*.

Porro hic modus immortalitatis sine dubio tribuendus est beatis in futura resurrectione, iuxta illud Luc. XX-35: *Illi vero qui digni habebuntur saeculo illo et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores; neque enim ultra mori poterunt; aequales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis*. Solum igitur esse posset quaestio de damnatis. Et in Supplemento quidem, Q. 86, a. 2, revocat S. Thomas immortalitatem damnatorum ad causam extrinsecam, quatenus post resurrectionem non erit amplius a quo possit alterari sive corrumpi corpus. Et affert rationem desumptam ex placitis antiquorum physicorum reponentium primum alterationis principium in motu coeli, quem opinatur tunc esse penitus cessaturum. Quidquid vero de hoc sit, minime dubitandum videtur quin et damnati quoque futuri sint ab intrinseco immortales, quoniam modus iste in resurrectione ultima connaturaliter exigitur. Re enim vera, ut supra notatum est, vel nulla esse debebit resurrectio in novissimo die, vel si erit, ex hoc ipso quod erit, et in quibuscumque erit, ad vitam quae nequeat amplius amitti, eam esse oportebit. Debitum igitur est ut omnes indiscriminatim resurgentes immortales fiant ex ipsa vi status ad quem perducentur, novique modi quo ad corpus anima reunietur. Caeterum huiusmodi immortalitas non erit in bonum damnatorum, sed magis in poe-

nam, nec coniungetur cum dotibus quae ad iucundam indestructibilis vitae possessionem faciunt. Et quia in Scripturis incorruptibilitas semper in bonam partem accipi solet, non mirum si speciali modo iis solis attribuatur qui consortes erunt resurrectionis iustorum.

Cessante autem in perpetuum fine ad quem ordinatur generatio et nutritio, (nam in statu resurrectionis humanum genus iam habebit totam multitudinem individuorum a Deo praefinitam, et quilibet homo resurget in debita quantitate, quin ultra possit accidere consumptio cui per alimenti restaurationem oporteat obviare), cessabunt quoque ex ipsa vi novi status novique modi essendi, omnes actus tam generativae quam nutritivae virtutis, simul cum omni concupiscentia qua in praesenti vita ad eos incitamur (1). Nec tamen sequitur, frustra fore membra quae nunc his operationibus deserviunt, ut ostensum est in superiori propositione, sed solum sequitur animam et corpus diverso ordine comparari secundum primam hominis generationem et resurrectionem eiusdem. Nam secundum generationem primam anima infunditur materiae prius praeparatae per virtutem seminis, et ad corporis condi-

(1) Hinc Augustinus Serm. 255. n. 7: « Quando dicitur quia « caetera subtrahuntur, et solus Deus erit quo delectemur, quasi « angustatur anima quae consuevit multis delectari et dicit sibi « anima carnalis, carni addicta, carnalibus cupiditatibus implicata, « visco malarum cupiditatum involutas pennas habens ne volet ad « Deum, dicit sibi: Quid mihi erit, ubi non manducabo, ubi non « bibam ?.... quale mihi gaudium erit ? Hoc gaudium tuum de ae- « gritudine est, non de sanitate. Certe ipsa caro tua in hoc tem- « pore aliquando aegrotat, aliquando sana est. Intendite, ut ali- « quid dicam unde capiatis exemplum rei quam non possum dicere. « Sunt quaedam aegrotantium desideria; ardent desiderio alicuius « fontis, aut alicuius pomi, et sic ardent ut existiment quia si sani « fuerint, frui debeant ipsis desideriis suis. Venit sanitas, et perit « cupiditas. Quod desiderabat, fastidit, quia hoc in illo febris « quaerebat. Et qualis est ista sanitas in qua convalescit aegrotus ? « Sanitas ista qua dicimur sani, quid est ? Sed tamen hinc capite « exemplum. Quia cum multa sint aegrotantium desideria, quae « ista sanitas tollit, quomodo illa tollit ista sanitas, sic omnia tollit « immortalitas, quia sanitas nostra immortalitas est. Recolite Apo- « stolum, et videte quid erit: *Oportet corruptibile hoc induere in- « corruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* ».

tiones quodammodo trahitur. In resurrectione autem erit e converso, quia corpus coaptabitur animae praeexsistenti, et ideo non iam conditiones animae conditionibus corporis, sed magis conditiones corporis conditionibus animae attemperabuntur.

Et de his quidem quae communia erunt, formaliter loquendo, tam electis quam reprobis, hactenus satis. Superest ut dotes illas quibus ornanda sunt corpora gloriosa, quoad eius fieri poterit, paucis declaremus.

§ 2.

Prima dos est impassibilitas, per quam corpus non poterit amplius pati quod ei molestum sit, sed penitus auferetur potentialitas ad passiones corruptivas et afflictivas. Quo in genere distinguere oportet pro futuro illo statu resurrectionis a mortuis, inter passionem quae est per modum naturae, id est secundum laesionem vel alterationem corporis seu organorum eius, et passionem quae est per modum sensus, et secundum irritationem potentiae sensitivae ex sola disproportione sentientis ad sentitum (1). Et si quidem sermo sit de passione quae est per modum naturae, ab ea erunt immunia corpora etiam damnatorum, propter statum immortalitatis de quo supra. At beatis propria erit impassibilitas removens quemlibet doloris modum et quodlibet afflictivae passionis genus. Et de hac dote communiter intelligunt dictum Apostoli, 1 Cor. XV-42: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione*: videlicet in incorruptione perfecta et consummata, per plenam exemptionem ab omni subiectione ad contrarium agens.

Secunda dos est subtilitas, quae tamen nequaquam in hoc consistere dicenda est, quod corpora gloriosa ex indita sibi virtute alia corpora valeant penetrare. Etenim necessitas distinctionis plurium corporum in situ causatur ex natura quantitatis dimensivae quam dos subtilitatis nec aufert nec mutat. Quo fit ut nonnisi ex miraculo corpus Christi gloriosum intra-

(1) Cf. S. Thom. Suppl. Q. 87, a. 3 ad 3,um,

verit ad discipulos ianuis clausis, sicut etiam ex miraculo in statu suae mortalitatis e clauso exiverat utero Virginis (1). Subtilitas ergo corporis gloriosi ad aliud referri videtur, videlicet ad perfectam constitutionem corporis sub anima, sive quantum ad ipsius animae transparentiam, sive quantum ad delicatissimam rationem omnium operationum et delectationum corporearum (2). Illa enim subtilia dicimus in quibus parum videtur esse de materia. Unde translatum est subtilitatis nomen ad ea quae optime subsistunt formae, et sive in essendo sive in operando ei subiiciuntur perfectissimo modo. De hac dote Apostolus ubi supra, 44: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.*

Tertia dos est agilitas, per quam corpus omnino spiritui ad motum obediet. Et hanc dotem tangit Apostolus loco citato cum dicit: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* « Infirmitatem enim experimur in corpore, qui invalidum in« venitur ad satisfaciendum desiderio animae in motibus et « actionibus quas anima imperat. Quae infirmitas totaliter tunc

(1) S. Thom. Suppl. Q. 83, a. 2.

(2) Quoad delectationes corporeas in beatis post resurrectionem, haec notat Ferrariensis in 4 c. Gent. c. 86: « Considerandum quod « aliter loquendum est de delectationibus tactus..., et aliter de de« lectationibus aliorum sensuum. Delectationes enim tactus maxime « materiales sunt, eo quod tangibile, delectationem tactus causans, « nobis realiter coniungitur Et sunt etiam maxime bestiales, nam « bruta non delectantur aliis sensibus nisi in ordine ad tactum, et « ipsas tactus delectationes maxime prosequuntur. Delectationes « autem aliorum sensuum spiritualiores sunt, quia ipsi sensus spi« ritualius sua obiecta recipiunt. Non enim coniunguntur nobis eorum « obiecta secundum esse materiale, sed tantum secundum suas in« tentiones. Unde licet huiusmodi delectationes corporales sint, in « quantum sunt motus appetitus sensitivi consequentis apprehen« sionem sensus quae per corpus exercetur, appropinquant tamen « ad spirituales delectationes, et quodammodo in earum genus ca« dunt, in quantum consequuntur unionem spiritualem obiecti sen« sibilis cum sentiente, non autem unionem realem et naturalem. « Ideo non est inconveniens si delectationes tactus praedictae in « beatis non inveniantur, qui spiritualem vitam vivent, inveniantur « autem in eis aliorum sensuum delectationes ».

« tolletur, virtute redundante ex anima Deo coniuncta » (1). Et ex huiusmodi agilitate fiet ut totus mundus corporeus futurus sit in possessione justorum. Propter hominem enim omnia haec visibilia creata sunt, tametsi in angustissimo illo ac vix perceptibili terrarum orbe ipse homo nunc positus exsistat. Tunc autem immensitas universi erit sub dominio eius. Tunc iusti in infinitis spatiis *tanquam scintillae in arundineto discurrent.* Tunc locus erit dicto Psalmistae: *Quoniam videbo coelos tuos opera digitorum tuorum, lunam et stellas quae tu fundasti!*

Quarta demum dos est claritas, quia sicut anima divina visione fruens quadam spirituali claritate replebitur, ita ipsum corpus suo modo claritatis gloria induetur, ut fulgeant iusti sicut sol in regno Patris eorum. Et de hac dote dicit Apostolus: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.*

Caeterum de illo futuro gloriae statu quid aut quantum in hac mortalitate adhuc positi dicere valemus? Tutissimum itaque erit ab omni ulteriori determinatione abstinere, usquedum veniat beata experientia quam futuram speramus de misericordia Christi.

Quaestio VIII.

DE IUDICIO GENERALI ET FINE MUNDI

Superest ultimo dicendum de iudicio generali. Cuius quidem iudicii rationes notiores sunt quam ut indigeant multis exponi, sed et satis elucent ipsis nominibus quibus in Scripturis insignitur novissimus dies. Dicitur in primis *dies revelationis iusti iudicii Dei* (Rom. II-5), quatenus in eo palam apparebunt altissimae illae viae Providentiae in tanta nunc caligine obvolutae, et manifestabitur coram hominibus universis summa Dei sapientia, bonitas, et iustitia in omni opere administratio-

(1) 4 c. Gent. c. 86.

nis rerum humanarum, sicut scriptum est: « Ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris ». Dicitur quoque *dies Domini*, et *adventus gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi* (1 Cor. III-13, Tit. II-13, etc.), quia cum nunc currat hominis dies, nunc hora et potestas tenebrarum quibus permittitur praevalere adversus Dominum et adversus Christum eius, tunc tandem ipsius Christi dies erit; cuius nutu et imperio solvetur theatrum huius mundi; cuius gloria per totum universum velut in aeterno quodam solstitio iam resplendebit; de quo denique vere accipitur illud: «Et ridebit in die novissimo! ». Iterum iudicii dies vocatur *regeneratio* (Matth. XIX-28), quia tunc habebitur omnium instauratio et novus natalis totius creaturae, dum a fundamentis qui antea vigebat ordo immutabitur. Vocatur quoque *tempus messis* (Matth. XIII-39), *aestas* (Marc. XIII-28), *consummatio saeculi* (Matth. XXIV-3), quia sicut tempore messis et calente aestate omnes fruges ad maturitatem perducuntur, sic in die illa, omnia opera hominum ad talem maturitatem erunt perducta, ut de eis adaequatum iudicium secundum omnes respectus et habitudines ferendum occurrat, et singulus quisque collecturus sit plenitudinem fructuum quos seminavit per opera vitae. Dicitur tandem idem iudicii dies *redemptio nostra* (Luc. XXI-28), quia quamvis multis futurus sit in poenam et damnationem, primario tamen erit ad bonorum gloriam et definitivam ab omni malo liberationem. Tunc enim vel maxime implebitur in Christo figura Melchisedech, primum quidem qui interpretatur rex iustitiae, deinde autem et rex Salem, quod est rex pacis; et ideo rex pacis in toto mundo, quia rex iustitiae, constituens unumquemque loco debito dispositione immobili; cuius aeterna lege in meritis praemiorum atque poenarum, creaturae cunctae ordinabuntur.

Et de modo quidem quo peragetur generale iudicium, quantum nostra fragilitas nosse sinit, iam dictum est in Q. 2. De loco autem id unum constat: in terris fore celebrandum; ut ibi exitum habeat via totius generis humani, ubi habuit ini-

tium, progressum, et finem, et ibi quoque Christus iudex glorificatus assideat, ubi sub homine iudice olim despectus, humiliatus, et reprobatus fuit. Caeterum non est cur in materiali valle Iosaphat quae est prope Ierusalem inter montem Oliveti et montem Moria, congregandos existimemus omnes homines iudicandos. Non enim apud prophetam certus locus materialiter designatur cum dicitur: « Et congregabo eos in vallem Iosaphat, etc. »; sed quia Iosaphat interpretatur *Dominus iudex*, ideo theatrum in quo ad iudicium cogentur omnes gentes, metaphorice vallis Iosaphat appellatur.

Una ergo relinquitur quaestio discutienda, videlicet de iudicio in sua connexione cum fine mundi. Et dicendum primo de modo, causa et ordine; secundo de tempore ultimae catastrophes, secuturaeque renovationis totius universi.

§ 1.

Prae primis observandum quod etiamsi solam scientiam naturalem seu physicam consuleremus, certissima iam conclusio esset, mundum hunc praesentem et initium habuisse, et finem pariter esse habiturum (1). Sed sicut in humanis du-

(1) « Notre globe n'a pas toujous été dans l'état où nous le « voyons. La géologie et la géogénie ont reconstitué son histoire, « laquelle se relie à la cosmogonie générale. Primitivement petit « soleil, issu de la même nébuleuse que le grand soleil qui aujour- « d'hui l'éclaire, l'échauffe et le vivifie, la terre, lumineuse et re- « plendissante, s'est refroidie dans un délai comparativement court, « en raison même de l'exiguité proportionnelle de ses dimensions. « Durant de longs siècles elle a roulé dans les cieux, étoile éteinte, « mais trop brûlante encore pour que la vie pût prendre pied à sa « surface; puis à la suite des innombrables précipitations atmosphé- « riques qui peu à peu rafraichirent la croute solide toute péné- « trée encore de la chaleur du foyer intérieur, la vie commença à « s'implanter sur elle sous la forme des premiers végétaux, ensuite « des premiers animaux. Voilà ce que révèle la science de nos « jours. La vie a donc eu un commencement sur notre sphéroïde... « Pareillement elle y aura une fin... car dans vingt ou trente mil- « lions d'année au plus, notre soleil encroûté et refroidi aura cessé

plex accidit mortis modus, naturalis scilicet et violentus, ita et pro mundo nostro duplex finis possibilis ostenditur. Certe, praecisione facta ab omni interventu causae per quam regularis ac consuetus ordo cosmicus casu quodam aliquando perturbaretur, finis non adveniret nisi post annorum millia millium ex lenta exstinctione solis et progressivo defectu conditionum ad vitam organicam in terra. Et modus iste quem solent astronomi describere, similitudinem haberet cum morte hominis qui senectute conficitur (1). Verumtamen semper ma-

« d'envoyer à la terre la somme de chaleur nécessaire pour la vivi-
« fier. Bien avant même ce refroidissement de l'astre qui nous éclaire,
« notre globe aura cessé d'être habitable pour l'homme et les grands
« mammifères, du fait de l'arasement des continents et des îles au
« niveau de l'océan, résultant de l'érosion sur les rives, de la
« mer et surtout des cours d'eau ». Kirwan, *Comment peut finir l'univers* ch. 1.

(1) « Le soleil actuel perd continuellement de sa chaleur ; sa
« masse se condense et se contracte ; sa fluidité actuelle doit aller
« en diminuant. Il arrivera un moment où la circulation qui ali-
« mente la photosphère et qui régularise sa radiation en y faisant
« participer l'énorme masse presque entière, sera gênée et com-
« mencera à se ralentir. Alors la radiation de lumière et de cha-
« leur diminuera, la vie végétale et animale se resserrera de
« plus en plus vers l'équateur terrestre. Quand cette circulation
« aura cessé, la brillante photosphère sera remplacée par une croute
« opaque et obscure qui supprimera immédiatement toute radiation
« lumineuse. Réduit désormais aux faibles radiations stellaires, notre
« globe sera envahi par le froid et les ténèbres de l'espace. Les
« mouvements continuels de l'atmosphère feront place à un calme
« complet. La circulation acrotellurique de l'eau qui vivifie tout
« aura disparu ; les derniers nuages auront répandu sur la terre
« leurs dernières pluies ; les ruisseaux, les rivières cesseront de ra-
« mener à la mer les eaux que la radiation solaire lui enlevait in-
« cessamment. La mer elle-même entièrement gelée cessera d'obéir
« aux mouvements des marées. La terre n'aura plus d'autre lu-
« mière propre que celle des étoiles filantes qui continueront à pé-
« nétrer dans l'atmosphère et à s'y enflammer. Peut-être les alter-
« natives qu'on observe dans les étoiles au commencement de leur
« phase d'extinction, se produiront-elles aussi dans le soleil. Peut-
« être un développement accidentel de chaleur, dû à quelque af-
« faissement de la croute solaire, rendra-t-il un instant à cet astre
« sa splendeur première. Mais il ne tardera pas à s'affaiblir et à
« s'éteindre de nouveau, comme les étoiles fameuses du Cygne, du

net, etiam e conspectu solius scientiae naturalis, possibilitas cuiusdam accidentalis ac subitaneae catastrophes, eaque multiplici ex causa repetita. Ex causa quidem ordinis tellurici, utputa ex eruptione ignis subterranei. Ex causa praesertim ordinis cosmici, utputa ex collisione seu occursu terrae vel etiam solis cum uno e sideribus illis quae per immensas caeli plagas quaquaversum moventur (1).

Proinde, si solis argumentis scientiae naturalis innitere-

« Serpentaire, et dernièrement encore, de la Couronne Boréale... Il « faut donc renoncer à ces brillantes fantaisies par lesquelles on « cherche à se faire illusion, à considérer l'univers comme l'im- « mense théâtre où se développe spontanément un progrès sans fin. « Au contraire, la vie doit disparaître ici-bas, et les œuvres ma- « térielles les plus grandioses de l'humanité elle-même s'effaceront « peu à peu sous l'action des quelques forces physiques qui lui « survivront pendant un temps. Il n'en restera rien, pas même des « ruines ». Faye, l'*Origine du monde*. Et bene quidem, si solum sermo sit de eo quod futurum esset in ea quae nunc consideratur hypothesi.

(1) « Personne n'ignore que notre soleil n'occupe pas un point « fixe dans l'espace. Comme toutes les étoiles il est animé d'un « mouvement propre, dans lequel il entraine tout son cortège de « planètes, de satellites et d'astéroïdes... Il suit de là que depuis « l'origine, les planètes, la terre comprise, n'ont jamais dans leurs « révolutions autour du soleil, repassé par le même chemin. Elles « décrivent sous les apparences de courbes fermées, une série de tours « de spire, écartés les uns des autres de tout le chemin parcouru, « durant chaque révolution de la planète, par le soleil dans son « mouvement de translation. Bien des rencontres, pendant ce vo- « yage à travers les immensités de l'espace et de la durée, sont « possibles entre notre globe et tel au tel objet sidéral circulant « avec une vitesse plus ou moins grande ou de sens différent. Cha- « cune de ces rencontres pourrait amener la fin de notre planète « sous une forme ou sous une autre. Par exemple, le choc contre « un globe de masse égale ou supérieure, fût-il obscur, produirait « un dégagement de chaleur suffisant pour la volatiliser. Si ce globe « était un soleil incandescent, il la consumerait avant même le « contact. La rencontre d'un essaim d'uranolithes, ou d'une « grande comète à noyau solide ou composée de gaz délétères, « ou d'une nébuleuse formée de particules embrasées, ou d'un « amas cosmique quelconque, suffirait à déterminer sur notre terre « des commotions violentes capables soit de l'anéantir, soit d'y « détruire la vie en révolutionnant complètement sa constitution « physique... On peut aussi supposer la rencontre de la terre avec

mur, nihil nobis certum, nihil fixum esset quoad modum quo desiturus est mundus. Nunc autem certiorem habemus propheticum sermonem cui bene facimus attendentes tanquam lucernae lucenti in caliginoso loco; et duo sunt quae clare omnino ac perspicue in deposito revelationis continentur. Primum est quod finis mundi erit subitaneus ac repentinus: *Sicut in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes, ita erit et adventus Filii hominis,* inquit Christus Dominus, Matth. XXIV-37. Et Paulus, 1 Thess. V-2: *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Dum enim dixerint: pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient.* Et 2 Petr. III-10: *Adveniet autem dies Domini ut fur.* Alterum est quod mundus iste noster per ignem peribit. De qua re plurima quoque sum tum antiqui tum novi Testamenti testimonia, praecipue vero notissimum illud Petri in secunda epistola, III-7: *Caeli autem qui nunc sunt et terra... igni reservati in diem iudicii et perditionis impiorum hominum... Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur. Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exepectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem coeli ardentes solventur et elementa ignis ardore tabescent.*

Solum quaeri posset utrum ultima haec conflagratio de facto eventura sit per solam operationem omnipotentiae divi-

« une comète du genre de celle de 1811. On sait que la tête de « cet astre extraordinaire ne mesurait pas moins de 1.800.000 kilo- « mètres de diamètre, et que sa queue occupait une longueur de « 176.000.000, près de cinq fois le rayon de l'orbite terrestre... « Tout flamberait, tout se consumerait; il y aurait fin de monde « terrestre par le feu... D'ailleurs un tel incendie cosmique ne serait « pas sans exemple dans les profondeurs intersidérales, etc. ». Kirvan, *Comment peut finir l'univers*, ch. 1.

nae absque causis secundis, utrum vero mediantibus ipsismet agentibus naturalibus sub Dei directione ac providentia. Nec forte probabilitate caret .posterior hypothesis, praesertim hypothesis cuiusdam sideralis collisionis, in qua sat verosimilis ratio redderetur, secundum statum scientiae hodiernum, variorum phaenomenorum quae in evangelio et caeteris Scripturis pro fine temporum describuntur (1). Adhuc tamen conformior Scripturae videretur sententia S. Thomae qui finem

(1) « Les étoiles temporaires qui surgissent tout-à-coup dans « les profondeurs du firmament, augmentent rapidement d'éclat, « puis décroissent et finissent par disparaître, nous donnent le « spectacle d'incendies sidéraux qu'il n'est point interdit de com- « parer à ce que pourrait être l'incendie de notre séjour terrestre « d'après les prédictions de St. Pierre. Que notre globe vienne à « rencontrer par le noyau quelque comète comparable à celle de « 1811, et dans les conditions indiquées plus haut, que va-t-il se « passer ? Ce sera d'abord, par l'attraction exercée sur les parti- « cules les plus tenues, une averse de ces météores comme on n'en « aura jamais vu, *stellae cadent de coelo.* Puis une ébullition bru- « yante avec évaporation en nuages épais des eaux de la mer, des « lacs et des fleuves, *prae confusione sonitus maris et fluctuum*, in- « terceptant plus ou moins complètement la lumière du soleil et « de la lune, *sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum.* La « température continuant à s'élever par suite du frottement inces- « sant et énergique de notre globe contre la matière cométaire ou « nébulaire, il finirait par prendre feu lui-même dans son atmo- « sphère et sur ses continents desséchés, calcinés. Ce serait alors « le jour dans lequel les cieux passeront avec une grande impé- « tuosité, *magno impetu*, les éléments seront dissous par la chaleur, « et la terre sera brûlée avec tout ce qu'elle contient ; où les cieux « embrasés, *coeli ardentes*, seront dissous et les éléments consumés « par l'ardeur du feu. Des effets analogues résulteraient encore, « soit du choc de la terre contre quelque bolide gigantesque d'une « masse comparable à la sienne, soit de la chute d'un corps de « semblable importance dans le soleil lui-même, soit du rapproche- « ment extrême de ce dernier avec quelqu'un de ses pareils. Et « dans ces diverses hypothèses, le mouvement de notre sphéroïde « sur son orbite, comme celui des autres planètes sur leurs tra- « jectoires respectives, serait plus ou moins profondément modifié... « Les forces cosmiques, *virtutes coelorum*, seront ébranlées, *commo- « vebuntur.* Le ciel s'est replié comme un livre qui s'enroule; les « montagnes et les îles ont été secouées sur leurs bases ». Kirwan, ubi supra, 3.

mundi prout de facto futurus est, collocat inter ea «quae soli « subiacent divinae potestati, in quibus nulla creatura ei coope- « ratur » (1). Ait enim Christus Dominus, Act 1-7: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate*: quasi diceret, quae soli potestati eius reservata sunt. Praeterea, si mundi finis per aliquam naturalem causam esset obventurus, difficilius intelligitur quomodo omnem naturalem praevisionem transcenderet, non tantum hominum in terra, sed et angelorum in caelo, secundum illud Matth. XXIV-36: *De die autem illo et hora nemo scit, neque angeli caelorum, nisi solus Pater.* Aut quomodo cum ea subitaneitate adveniret, quam ubique locutiones Scripturae inculcant: sicut fur in nocte, tanquam laqueus superveniens, et cum dicent: ubi est promissio aut adventus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae, etc. Sed haec satis obscura sunt, et non est cur de causa proxima ultimae catastrophes multum disputetur, cum id nobis tandem scire sufficiat, quod quacumque suppositione facta, eo modo semper revera accidet quo fuit praenuntiata.

Potior itaque esset ratio inquirendi de ordine quo sese excipient omnia ea quae in novissimo die complenda proponuntur. Ordo autem videtur fore huiusmodi. Primo erit conflagratio in qua dies Domini revelabitur; conflagratio praevia adventui iudicis, testante psalmista ubi ait: *ignis ante ipsum praecedet;* conflagratio mundum destruens, hominibus in terra residuis finem viae afferens, iustosque quibus luendum aliquid supererit purgans. Postea sequetur generalis resurrectio, apparitio signi Filii hominis in caelo, et descensus ipsius Christi, quem in maiestate et virtute multa venientem aspicient homines universi. Aspicient, inquam, oculis corporeis, non iam in carne mortali exsistentes, non iam ad poenitentiam mobiles, sed omnes a mortuis redivivi, omnes in ultimo statu termini constituti, et pro iis quae gesserint sive bona sive mala retri-

(1) S. Thom, Suppl. Q. 88, a. 3.

butionem a iudice recepturi. Tunc ergo mysticae aquilae, aquilae sublimes congregabuntur ubi fuerit corpus, dum iuxta Apostolum, cuncti electi rapientur obviam Christo in aera; plangent autem ex adverso omnes tribus terrae, id est, qui hoc nomine in evangelio designantur reprobi. Et statim fiet iudicium. Quo quidem peracto, abeuntibusque malis in locum suum, consummabitur renovatio illa caeli et terrae quam futuram praenuntiat Petrus ubi supra: *Novos vero caelos*, inquit, *et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus.* Cui concordat Isaias LXV-17: *Ecce ego creo caelos et terram novam, et non erunt in memoria priora.* Concordat et Ioannes in Apocalypsi XXI-1: *Vidi caelum novum et terram novam; primum enim caelum et prima terra abiit.* Concordat denique et Paulus, Rom. VIII ubi introducit omnem creaturarum ingemiscentem et parturientem, exspectantemque revelationem gloriae filiorum Dei, quando et ipsa liberabitur a servitute corruptionis. « Dicendum quod omnia corporalia propter homi-
« nem facta esse creduntur, unde et omnia dicuntur ei su-
« biecta. Serviunt autem homini dupliciter: uno modo ad
« sustentationem corporalis vitae, alio modo ad profectum co-
« gnitionis divinae, in quantum homo per ea quae facta sunt,
« invisibilia Dei conspicit, ut dicitur Rom. I. Primo ergo mi-
« nisterio creaturarum homo glorificatus nullo modo indigebit..
« Secundo etiam ministerio non indigebit homo quantum ad
« cognitionem intellectivam, quia tali cognitione Deum sancti
« videbunt immediate per essentiam. Sed ad hanc visionem es-
« sentiae oculus carnis attingere non poterit, et ideo, ut ei
« etiam solatium congruens de visione divinitatis praebeatur,
« inspiciet divinitatem in suis effectibus corporalibus, in quibus
« manifesta indicia divinae maiestatis apparebunt, et praecipue
« in carne Christi, et post hoc in corporibus beatorum, et dein-
« ceps in omnibus aliis corporibus. Et ideo oportebit ut etiam
« illa corpora maiorem influentiam a divina bonitate suscipiant
« quam nunc; non tamen speciem variantem, sed addentem cu-
« iusdam gloriae perfectionem; et haec erit mundi innovatio.

« Unde simul mundus innovabitur, et homo glorificabitur » (1).

Haec igitur de fine mundi quantum ad modum, causam, et ordinem generaliter dicta sufficiant. Neque enim expedit ad particularia descendere, quia cum ad ea devenitur, aut puris coniecturis datur locus, aut iis quaestionibus, quibus, antequam novissimus dies experimentaliter innotescat, nulla omnino solutio est. Nunc autem de tempore in evangelio et caeteris scripturis N. T. pro glorioso adventu Christi assignato gravior causa dicendi occurrit, propter intolerandum errorem quem neocritici, rationalistarum vestigia prementes, in hoc puncto iam passim evulgant.

§ 2.

Quorumdam itaque neocriticorum assertio nunc est, quod Dominus noster Iesus Christus annuntiavit in evangelio finem mundi tamquam proxime imminentem. Et hanc assertionem ex qua logice sequeretur Iesum fuisse falsum prophetam, adeoque vanam esse fidem nostram, sumunt ex rationalistis qui in quibusdam evangelicis textibus suam opinionem fundant et construunt (2). A Christo autem error in apostolos dimanasset,

(1) S. Thom. Suppl. Q. 91, a. 1.

(2) Alfredus Loisy in opere *l'Evangile et l'Eglise*, pro fundamento assumit quod Iesus persuasum habebat finem temporum et consummationem saeculi in glorioso regno caelorum iamiam instare, imo in tantum habebat persuasum, ut huic ideae fixae omnia evangelii praecepta accommodaverit. Hinc enim res omnes temporales contemnendas esse docebat; hinc a suis discipulis exigebat, non modo ut parati animo essent ad abdicandum bona sua, ubi forte id requireret supremum salutis interesse, sed omnimo ut statim actu omnia relinquerent, ipsumque sequerentur, etc. etc. Porro eiusmodi blasphemiam praeformatam de integro habes apud Renan, *Vie de Jésus*, c. 17 per totum; « Les déclarations (de Jésus) sur « la proximité de la catastrophe ne laissent lieu à aucune équivo- « que. La génération présente, disait-il, ne passera pas sans que « tout cela s'accomplisse (Matt. XXIV-34). Plusieurs de ceux qui « sont ici présents ne goûteront pas la mort sans avoir vu le Fils « de l'homme venir dans so royauté (Matt. XVI-28). Il reproche

apud quos frequens esset mentio *parousiae*, seu ultimi ac gloriosi adventus Iesu Christi, velut statim, id est tempore coaevae generationis, omnino eventurae. Et rursus varios textus adducunt ex epistolis Pauli, Petri, Ioannis, et Iacobi (1). Porro omnia ista regulae fidei catholicae ita aperte et evidenter contradicunt, ut supervacanea sit omnis demonstratio. Re enim vera, si haereticum est attribuere Christo aliquam ignorantiam, etiam in natura humana in qua fuit plenus gratiae et veritatis, quanto magis positivum errorem. Insuper, Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt apostoli in scripturis quas nobis reliquerunt; et inspiratio tam necessario respuit errorem omnem, quam necessarium est ipsum Deum nullius prorsus falsitatis auctorem exsistere. Denique, quid quaeso certius in doctrina Patrum, quid clarius in fide omnium christianorum, quid luculentius in praedicatione totius Ecclesiae inde ab

« à ceux qui ne croient pas en lui, de ne pas savoir lire les pro-
« nostics du règne futur. Quand vous voyez le rouge du soir,
« disait il, vous prévoyez qu'il fera beau ; quand vous voyez le
« rouge du matin, vous annoncez la tempête. Comment vous qui
« jugez la face du ciel, ne savez-vous pas reconnître les signes du
« temps ? (Matt. XV. 2-4). Par une illusion commune à tous les
« grands réformateurs, Jésus se figurait le but beaucoup plus proche
« qu'il n'était; il ne tenait pas compte de la lenteur des mouve-
« ments de l'humanité : il s'imaginait réaliser en un jour ce qui,
« dix-huit cents ans plus tard, ne devait pas encore être achevé.
« Ces déclaration si formelles préoccupèrent la famille chrétienne
« pendant près de soixante-dix ans, etc. etc. ».

(1) « Si la première génération chrétienne a une croyance
« profonde et constante, c'est que le monde est sur le point de
« finir (Act II, 17 ; 1 Cor. XV, 23,24, 52 ; 1 Thess. III-13. IV-14 ;
« 2 Thess. II-8 ; 1 Tim. VI 14 ; 2 Tim. IV-1 ; Iacob. V-3, 8 ; 2
« Petr. III entier ; Apoc. I-1, II-5, etc.), et que la grande révéla-
« tion du Christ va bientôt avoir lieu. Cette vive proclamation :
« *Le temps est proche!* qui ouvre et ferme l'Apocalypse, cet appel
« sans cesse répété : *Que celui qui a des oreilles entende!* sont les
« cris d'espérance et de ralliement de tout l'âge apostolique. Une
« expression syriaque *Maran atha*, *Notre Seigneur arrive!* devint
« une sorte de mot de passe que les croyants se disaient entre eux
« pour se fortifier dans leur foi et leurs espérances. L'Apocalypse
« écrite en l'an 68 de notre ère, fixe le terme à trois ans et demi,
« XI-2, XII-4 ». Renan, ubi supra.

initio, quam quod Christus sit infallibilis veritas, quod apostoli eius infallibiles exstiterint praecones veritatis, quod prophetiae tam veteris quam novi Testamenti omnes ac singulae adeo verae esse debent, ut si vel aliqua tantum ex parte fallaces invenirentur, eo ipso positivum suppeditarent argumentum falsitatis nostrae religionis? Hinc oleum perderet et operam quisquis argumenta a longe quaereret, ut demonstraret audacem illam neocriticorum opinionem esse revera multis ex titulis haereticam. Non ergo in id insistendum, sed solum solvere oportet rationes quas in medium adducunt, et hoc quidem perficiemus declaratione duarum sequentium propositionum.

Propositio prima: Quod omnes textus Evangelii qui afferuntur pro praenuntiato a Christo fine mundi tamquam proxime et sine mora eventuro, fuerunt male a rationalistis et neocriticis intellecti.

I. — Principalis textus ille est in quo post multa praemissa de ruina templi et glorioso suo adventu in nubibus coeli cum virtute et maiestate magna, Matth. XXIV-34, Dominus ait: *Amen dico vobis quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant. Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.* Ubi difficultatem faciunt verba *generatio haec*, quae sensu obvio et naturali accepta designant generationem tunc praesentem, in oppositione ad generationes futuras, adeoque generationem coaevam Iesu, quae cum primo aerae christianae saeculo finem accepit.

Equidem non desunt interpretes qui insistentes in aliquo possibili sensu vocis graecae γενεά (nam γενεά accipi etiam potest pro stirpe, genere, progenitura), omnes prorsus usque in mundi finem seu hominum seu Iudaeorum generationes hac locutione ἡ γενεὰ αὕτη comprehendi opinantur, ita ut sensus sententiae esset: Non praeteribit genus humanum vel stirps Iudaica, donec omnia a me nunc praedicta fiant. Sed supra omnem fidem est eiusmodi interpretatio, quia si referas ad genus humanum, sensus esset: Non veniet finis usquedum finis a me praedictus veniat, quod est ridiculum, et in mera tautologia positum. Si autem ad stirpem iudaicam, sensus fo-

ret: Non delebitur populus Iudaeorum, quoadusque fiat saeculi consummatio. Et tunc, adderetur quidem prophetia de perenni huius populi duratione, sed quod attinet ad quaestionem a discipulis positam de tempore seu epocha eventuum, responsio iterum ad hoc reduceretur: Veniet consummatio quando veniet.

Sunt ergo alii qui his rationibus convicti, concedunt quod locutio *generatio haec* revera designat generationem Christo coaevam, iuxta sensum verborum obvium et maxime naturalem. Difficultatem autem evacuare putant dicendo: ea omnia quae praecedunt in textu evangelico respicere excidium Ierusalem supparesque eventus, minime vero finem mundi et gloriosum Christi adventum ad extremum tremendumque iudicium. Sed cuilibet vel leviter attendenti adhuc magis incredibile id videbitur, et contra violentam interpretationem totus a vers. 29 contextus clamat: « Statim autem, inquit, post « tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur et luna non « dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo, et virtutes coe- « lorum commovebuntur. Et tunc parebit signum Filii homi- « nis in coelo, et tunc plangent omnes tribus terrae, et vide- « bunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum vir- « tute multa et maiestate. Et mittet angelos suos cum tuba et « voce magna, et congregabunt electos eius a quatuor ventis; « a summis coelorum usque ad terminos eorum. Ab arbore au- « tem fici discite parabolam... Amen dico vobis quia non prae- « teribit generatio haec, etc ». Ecquis enim sibi unquam persuadebit, agi hic de adventu Christi in fide populorum, de conversione orbis per praedicationem evangelii, de accessione electarum gentium ad Ecclesiam, ut volunt auctores singularis huius ac vere incredibilis sententiae? Quid tunc, quaeso, obscuratio solis et lunae, quid stellae cadentes de caelo, quid planctus omnium tribuum terrae? Praeterquam quod nihil magis inusitatum est in N. T., quam ut angeli accipiantur pro apostolis, tuba pro praedicatione doctrinae, Filius hominis veniens cum potestate et maiestate multa in nubibus caeli, pro

Filio hominis subdente sibi corda per fidem et suasionem veritatis. Et ideo, tali explicatione data, nescio an non iure dicerent adversarii, nos torquere documenta simul cum proprio intellectu, ad inveniendum in eis id quod in eis non est, sed ad necessitatem causae in eis debet inveniri.

Inde ergo triumphare sibi videbuntur neocritici. Quamquam revera pudere eos deberet, si modo omnem sensum christianum ex animo nondum penitus abiecerunt, ibi praecise falsam opinionem adscribere Christo, ubi Christus adhibet solemnem ac iuramento similem formulam assertionum suarum: *Amen dico vobis.* Et rursus: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.* Nam si talis ac tam solemnis prophetia faliit, quid adhuc revelatam veritatem quaerimus in christianismo? Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum quod miserit Christum, quem utique non misit si falsa inveniuntur ea quae ab eo praedicta sunt sub tanta asseveratione infallibilitatis. Sed mirum si in re tam obvia nullam aliam explicationem, nisi ex erronea Christi persuasione repetitam, inveniri posse arbitrati sunt. Et inde tandem tota de integro oritur difficultas, quod verba dominica: *non praeteribit generatio haec,* connectunt cum praecedentibus, ac si essent instar conclusionis in qua pausare oporteret. At contra, contextus ratio et continuatio sermonis id evidenter exigit, ut praefata verba accipiantur tanquam in capite novae declarationis posita, et connectantur cum sequentibus hoc modo: « Non praeteribit generatio *haec* « donec omnia *haec* fiant. Coelum et terram transibunt, verba « autem mea non praeteribunt. De die autem *illa* et hora ne- « mo scit, neque angeli coelorum, nisi solus Pater ». Et sic evanescit difficultas.

Ad quorum evidentiam considerandum est quod quaestio discipulorum fuerat de duobus: primo de tempore praenuntiatae eversionis templi ac gloriosi adventus Christi, secundo de signis utrique huic eventui praeviis. Id quidem apud tres evangelistas. Apud Matthaeum: *Dic nobis quando haec erunt,*

et quod signum adventus tui et consummationis saeculi. Apud Marcum: *Dic nobis quando ista fient, et quod signum erit quando haec omnia incipient consummari.* Apud Lucam: *Quando haec erunt, et quod signum cum fieri incipient.* Porro Christus ordine inverso respondet propositae quaestioni. Primo de signis prognosticis, (Matth. XXIV, 4-33; Marc. XIII, 5-29; Luc. XXI, 8-31). Deinde de tempore seu epocha Matth. XXIV, 34, seq.; Marc. XIII-30, seq.; Luc. XXI-32, seq.).

Primo, inquam, de signis prognosticis. Et quia clades Ierusalem futura erat delineatio quaedam cladis novissimae totius mundi, sive quoad atrocitatem ruinae (1), sive quoad causam eius meritoriam (2), sive quoad symptomata praecursoria (3), nil mirum si utraque simul sub una veluti prospectiva more prophetico coniungitur (4). Interest tamen inter Lucam

(1) Fuit Ierosolymitana illa vastatio, quasi figura quaedam et imago vastationis ac finis mundi, inquit Maldonatus in c. 24 Matthaei. Et Augustinus, epist. 199, n. 30 : « Iosephus qui iudaicam scripsit « historiam, talia mala dicit illi populo tunc accidisse, ut vix cre- « dibilia videantur ».

(2) Excidium Ierosolymae fuit in vindictam crucifixi a Iudaeis Christi, Luc. XXIII-28 seq. — Clades novissima erit in vindictam repudiati a mundo apostata eiusdem Christi, 2 Thess. I-II.

(3) Praecipua symptomata utrique catastrophe communia, sunt ingens persecutio fidelium, pseudochristi et qui per excellentiam antichristus vocatur, abominatio posita in loco sancto, etc.

(4) Nota illud *more prophetico*, qui ab historico longe diversus est. Tantum enim distat inter narrationem historicam et praedictionem propheticam, quantum distat inter visionem hominis qui ambulans in via videt cuncta e planitie campi, unum post aliud, et visionem hominis qui in eminenti loco positus extra ordinem transeuntium, omnia simul prospicit ac intuetur. Quapropter narratio historica modum habet ipsarum rerum quae motu temporis abripiuntur, sed praedictio prophetica impressum retinet modum aeternitatis divinae in cuius speculo praesentialiter se habent omnia. Ideo fert modus propheticus ut sub eadem prospectiva et in eodem veluti campo visionis constituat eventus speciali inter se similitudinis seu analogiae nexu devinctos, longis licet temporum intervallis separatos. Et hunc modum tenet Christus in praesenti, quamdiu scilicet de assignatione epochae (quae ad alteram responsionis partem reservabatur), sermo non est.

et duos alios evangelistas, quod apud Lucam magis perspicua est distinctio eventuum. Nam post enumerata signa desolationis Ierusalem tam remota quam proxima (vers. 8-22), diserte vers. 23-24 dicitur: *Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram et ira populo huic. Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes, et Ierusalem calcabitur a gentibus donec impleantur tempora nationum.* Tempora autem nationum procul dubio sunt tempora praefixa nationibus in salutem: tempora in quibus iuxta Apostolum ad Rom. XI, oportet plenitudinem gentium intrare Ecclesiam, ut postea omnis Israel salvus fiat; tempora proinde media inter tempus excidii Ierosolymae et tempus ultimi iudicii, de cuius signis in versiculis sequentibus iam subditur: *Et erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus prae timore et exspectatione quae supervenient universo orbi, nam virtutes coelorum movebuntur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate. His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, etc.* Ergo apud Lucam descriptio cladis novissimae continuatur quidem cum descriptione excidii Ierusalem; adhuc tamen obvia et in promptu est delimitatio eorum quae ad consummationem saeculi exclusive pertinent. Porro, parallela fere via procedit Matthaeus usque ad vers. 14: *Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio*: qui versiculus respondet supradicto versiculo Lucae de temporibus nationum, et locum pariter relinquit cuilibet longitudini saeculorum ante ultimum mundi diem.

Sed ecce Matthaeus, et cum eo Marcus, aliquid iam apponunt quod a Luca omissum est: signum scilicet *abominationis desolationis quae dicta est a Daniele propheta, stantis in loco sancto.* Et hoc in causa fuit cur apud illos duos incipiant permisceri praenuntiationes de utraque catastrophe. Abominatio enim desolationis stans in loco sancto praedicitur Dan. IX-27,

pro excidio urbis sub Tito (1), et iterum Dan. XII-11, pro fine mundi sub antichristo (2), et ideo ab iis potissimum verbis: *Cum ergo videritis abominationem desolationis*, etc., videbuntur confundi ea quae ruinam civitatis et templi respiciunt, cum iis quae finem mundi: non tamen ita ut attenta consideratio nequeat discernere singula, et suis quaeque componere locis. Nam cum dicitur vers. 16: *Tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes, etc.*, constat quod *tunc* refertur in primis ad tempus abominationis visae in templo, Dan. IX-27, quando, ut narrat Iosephus, nefanda flagitia et horrenda scelera a zelotis in templo commissa, templum ipsum locum abominationum effecerunt. Monitio siquidem dirigitur ad eos qui in Iudaea sunt, et historia aliunde testatur quod huic monitioni obtemperantes christiani, ab horroribus obsidionis immunes revera fuerunt, eo quod tempestive in tuto se contulerant, in montanis, in urbe Pella. Quo autem modo, quove sensu, monitio eadem ad eos quoque pertineat qui futuri sunt tempore Antichristi, nobis compertum non est, sed nec ante eventum compertum esse poterit. At vero, cum paulo post dicitur, vers. 21: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet*, istud *tunc* refertur maxime ad tempus abominationis praedictae a Daniele pro fine mundi, XII-11; de quo apud prophetam, XII-1: *Et veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse coeperunt usque ad tempus illud.* Quamquam tribulationem illam maximam quae in fine temporum erit, intueatur Christus in tribulatione pro-

(1) « Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce ven-
« turo... et erit in templo *abominatio desolationis*, et usque ad con-
« summationem et finem perseverabit desolatio ».

(2) « In tempore illo consurget Michael princeps magnus qui
« stat pro filiis populi tui et veniet tempus quale non fuit ab eo
« ex quo gentes esse coeperunt usque ad tempus illud... Et a tem-
« pore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, et posita fuerit *abomi-*
« *natio in desolationem* dies mille ducenti nonaginta ». De qua abominatione Paulus 2 Thess. II-4, ubi sermo est de futura revelatione hominis peccati, filii perditionis, « qui adversatur et extol-
« litur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in
« templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus »

xima populi iudaici tamquam in sua prolusione seu delineatione, et utramque simul prosequatur, sermonem ita conformando ut ad utriusque descriptionem aptus evadat. Denique, cum vers. 29 subditur: *Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur*, etc., constat quod de sola iam catastrophe ultima sermo est, et reincidit deinceps parallelismus cum Luca dicente: *Et erunt signa in sole et luna et stellis*, etc.

Sed non vacat in praesenti ad ampliorem singulorum discussionem descendere. Nam pro nunc id unum refert, quod scilicet omnia ista sunt in prima responsionis parte, quae est de signis prognosticis, et quod haec eadem pars per parabolam fici apud tres evangelistas pariter concluditur; *Ab arbore autem fici discite parabolam. Cum iam ramus eius tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est aestas. Ita et vos cum videritis haec omnia, scitote quia prope est in ianuis.*

Sed hactenus de tempore quo *haec erunt*, quo *ista fient*, ut ferebat prima discipulorum interrogatio, nihil. Neque enim ex hoc quod ad discipulos dirigebatur sermo, taudituri *estis* praelia; videte ne *turbemini;* tunc si quis *vobis* dixerit; cum *videritis* abominationem desolationis; ita et *vos* cum videritis haec omnia, etc. etc.), consequens ullo modo erat, discipulos ipsos adhuc in mortali vita degentes, visuros esse prophetiae adimpletionem, ac per hoc, praenuntiatas clades esse mox venturas, id est, coaeva generatione adhuc superstite. Norunt quippe christiani omnes quod in persona praesentium discipulorum ,totam Ecclesiam suam usque in consummationem saeculi futuram solebat alloqui Christus. Et ideo, quidquid fuerat dictum de signis prognosticis poterat referri ad quamlibet futuri temporis differentiam, salva de integro praedictionum veritate. Nunc ergo a capite resumitur sermo, et iam de epocha eventuum suos edocturus, nedum excidium Ierosolymae confundat cum excidio orbis, unum ab altero expressis verbis condistinguit, et uni assignat diem proximum, alteri vero diem magis remotum et in impervio Dei secreto repositum: *Amen dico*

vobis, inquit, *quia non praeteribit generatio* **haec** *donec omnia* **haec** *fiant. Coelum et terram transibunt, verba autem mea non praeteribunt. De die autem* **illo** *et hora nemo scit, neque angeli coelorum, nisi solus Pater. Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis... Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit... Tunc simile erit regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsae... Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. Sicut enim homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua... Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae, et congregabuntur ante eum omnes gentes*, etc. (1). Ubi nota oppositionem quae est inter *omnia haec* πάντα ταῦτα, et *diem illam* ἡμέραν ἐκείνην. Nota etiam quod si *dies illa* est dies iudicii, ut tota sermonis consequentia evidentissime ostendit, reliquum est ut *omnia haec* nihil aliud sint quam quae spectant ruinam templi et civitatis. Nota praesertim quod tam in latino quam in graeco, **haec** ταῦτα, et **illa** ἐκείνη, signant duo tempora distincta, vi cinum unum, longinquum alterum, ita ut a primo ad ultimum, sententiae Christi legitima expositio sit: De duobus locutus sum, de excidio Ierusalem et de excidio orbis. Et quoad primum tempus, *non praeteribit generatio haec.* Quoad alterum vero, tempus est ignotum omni creaturae, et ignotum manere debet, ut continuae vigilantiae sit locus, *nemo scit, nisi solus Pater* (2).

(1) Matth. XXXIV-34, usque ad XXV-46. Quibus consona omnino sunt, quae habet Marcus, XIII-30-37.

(2) « *En verité, en verité je vous le dis : Cette génération-ci ne* « *finira point, jusqu'à ce que toutes ces choses-ci soient accomplies ; le* « *ciel et la terre passeront, mais mes paroles ne passeront point.* « *Mais pour ce jour et cette heure-là, ni les anges mêmes qui* « *sont dans le ciel ne la savent, ni personne que mon Père.* « Voilà deux temps bien marqués. *Haec* et *illa*, en grec com- « me en latin, marquent deux temps opposés, l'un plus proche, « l'autre plus éloigné. Cette génération-ci verra toutes ces cho- « ses-ci accomplies: *generatio haec*, *omnia haec*, *omnia ista.* Mais « pour ce jour-là, pour cette heure-là, *de die autem illo et*

Ergo, praecisione etiam facta a rationibus pure theologicis, et solis inhaerendo exegeticis criteriis, falsum est quod a neocriticis asseritur: finem mundi fuisse a Christo praenuntiatum tamquam statim et sine mora eventurum. Imo veritas in hoc est, quod de industria et expresso consilio celata sit ab eo hora, ut nesciretur determinatum tempus. Quanquam in annexis parabolis non desunt incisa quibus adumbrate et tectis verbis significatur horam non esse ita vicinam, sicut plures e primis christianis sibi imaginaturi erant. Nam in parabola virginum dicitur: *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt.* Et in parabola talentorum: *Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum.* Unde Chrysostomus, hom. 78 in Matth. n. 1: « Non parvum temporis rursus « spatium interiectum ostendit, ut discipulos regnum ipsius « mox futurum exspectantes ab ea opinione deduceret ». Sed de his hactenus satis.

II. — Aliud nunc fundamentum neocritici post rationalistas assumunt e textu qui pariter apud tres synopticos invenitur: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera eius. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Haec quidem apud Matthaeum, XVI-28. Apud Marcum vero,

« *hora*, personne ne la sait. Comme s'il disait: Je vous ai parlé de « deux choses, de la ruine de Jérusalem, et de celle de tout l'uni- « vers au dernier jugement. Ce qui doit arriver dans la génération « où nous sommes, et dont les hommes qui vivent doivent être « les témoins, je vous en marque le temps, et cette génération ne « passera pas qu'il ne s'accomplisse. Voilà pour l'événement auquel « nous touchons. Mais pour ce jour-là, ce jour où je viendrai juger le « monde, personne n'en sait rien, et je ne dois pas vous le décou- « vrir. Il est donc marqué clairement que la chute de Jérusalem » était proche, et l'Eglise le devait savoir. Mais pour ce jour-là, « pour ce dernier jour où tout l'univers sera en trouble, et où le « Fils de l'homme viendra en personne, on n'en sait rien, on ne « sait, ni s'il est loin, ni s'il est près, et le secret en est impé- « nétrable, et aux anges qui sont dans le ciel, et à l'Eglise même, « quoiqu'elle soit enseignée par le Fils de Dieu ». Bossuet, Méditations sur l'Evangile, dernière semaine du Sauveur, 76.ème jour.

VIII-38, habetur: *Qui me confusus fuerit et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundetur eum cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis. Et dicebat illis: Amen dico vobis quia sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei veniens in virtute.* Et rursus apud Lucam IX-27: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, et Patris, et sanctorum angelorum. Dico autem vobis vere, sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei.* Ex quibus eandem ac supra deducunt conclusionem, videlicet: Christum diserte praedixisse parousiam seu adventum gloriae eventurum, priusquam coaeva generatio finem acciperet. Nunc autem e converso, eaedem quoque pro confutatione occurrunt observationes.

Prima est, quod hic etiam adhibet Christus solemnem formulam assertionum suarum: *Amen dico vobis*, et iterum: *Dico vobis vere.* Hinc, si ibi errat et fallitur, ergo hallucinatione laborat, quia profecto hallucinati hominis est, res miras, supernaturales, omnem humanum ordinem transcendentes, tam asseveranter futuras annuntiare ex sola subiectiva persuasione, seu ut nunc dicunt, autosuggestione. Si autem hallucinatione laborat, ergo nec verus Christus est, nec promissus Messias, nec a fortiori Filius Dei, ac per hoc falsa est eius religio, et plane commentitia. Videant critici nostri utrum conclusionem recipiant, quidquid interim sit de eo quod libere dici posse arbitrantur circa defectum scientiae in anima Christi.

Altera est observatio, quod iterum intervenit eadem causa erroris, non Christi, sed novorum exegetarum. Consistunt enim in verbis praecitatis, nihil curantes de his quae immediate consequuntur apud omnes tres evangelistas. Atqui Matthaeus sic habet: *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo. Et post dies sex assumit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius, et ducit illos in montem excelsum*

seorsum, et transfiguratus est ante eos. Idem iisdem fere terminis Marcus. Lucas vero: *Dico autem vobis vere, sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei. Factum est autem post haec verba fere dies octo, et assumpsit Petrum et Iacobum et Ioannem, et ascendit in montem ut oraret,* etc. Ubi nota incisum istud, *factum est post haec verba*, quo adhuc evidentius exprimitur connexio quae est inter promissionem praecedentem et factum transfigurationis. Et sane, datum est in transfiguratione specimen quoddam illius gloriae cum qua in fine temporum venturus est Christus ut reddat unicuique secundum opera eius. Ideo resplenduit facies eius sicut sol, ideo factus est vestitus eius albus et refulgens, ideo apparuerunt cum eo Moyses et Elias, Moyses quidem veteris initiator foederis, Elias vero ultimi praecursor adventus, tamquam omnem successionem saeculorum quae regi Christo currunt, in sua persona figurantes. Ut ergo credibiliorem faceret attestationem qua se dixerat venturum in gloria Patris sui cum angelis suis in extremo iudicio, iam ex nunc exemplum aliquod huius suae gloriae quibusdam adstantibus daturum se promittit, et isti *quidam*, isti *hic stantes qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei veniens in virtute*, seu Filium hominis in regia claritate, ipsi sunt Petrus et Iacobus et Ioannes qui in monte sancto *evigilantes viderunt maiestatem eius, et duos viros qui stabant cum eo.* Haec est communis interpretatio Patrum, eaque plana, obvia, litterae consentanea, et sacro contextui per omnia inhaerens.

III. — Vide ergo quam inane sit criticorum fundamentum. Nam caeteri quos adducunt textus, non sunt ullo modo ad rem, velut illud Matth. IV-17: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum,* vel, Luc. X-9: *Appropinquavit in vos regnum Dei*, et alia plurima his similia. In huiusmodi enim, ne verosimiliter quidem agitur de parousia seu ultimo adventu in fine mundi, sed de regno Messianico super terram, quod est Ecclesia praesentis temporis. Equidem critici rationalistae affirmant quod *regnum Dei* seu *regnum coelorum*

non habet in evangelio nisi unam acceptionem, et quod sumitur exclusive pro regno venturi saeculi. Atque hinc, inter alia enormia deducunt quod Christus historicus nusquam cogitavit de instituenda religione in terris, quod Ecclesia fuit supra Iesum potius quam a Iesu fundata, quod post Iesum introductae sunt modificationes necessariae ad accommodandum conditionibus mundi perdurantis, id quod ab eo dictum non fuerat nisi pro mundo brevi desituro, etc. etc. Sed si demonstrationem quaeras fundamentalis affirmationis, in vanum certe laborabis: sic vult critica, sic critica iubet, sic pro ratione critica, nunc tandem praevalens contra traditionalem omnium christianorum saeculorum intelligentiam. Caeterum quaestio ista est alterius loci, et sedem habet inter alias de Ecclesia disputationes. Confer igitur, si lubet, quae ibi dicta sunt in Quaestione prima, de institutione visibilis Ecclesiae Christi. Nunc enim id unum videndum superest, utrum error qui a criticis tam blasphematorie imponitur Christo, apostolis saltem in scriptis quae nobis reliquerunt, iure attribuatur.

Propositio secunda; Quod absque fundamento erronea persuasio de imminente iam iudicio et parousia Christi, in scriptis apostolicis passim respersa asseritur: imo etiam contra diserta et expressa quae in iisdem iuveniuntur testimonia.

I. — Tria sunt loca in quibus de tempore parousiae seu ultimi Christi adventus, ex professo et data opera agitur, et in eorum singulis calumnia illa a neocriticis inventa penitus destruitur.

Primus locus est 1 Thess. V-1, ubi postquam Thessalonicenses revocasset Apostolus ab immoderata tristitia qua mortuos lugebant, eosque consolatus esset certissima spe resurrectionis in novissimo die, sic pergit: *De temporibus autem et momentis, fratres, non indigetis ut scribamus vobis.* Quasi diceret: Necessarium vobis erat ut ad confirmandam fidem et spem vestram, et ad lugentium consolationem, scriberem de futuro Christi adventu et de mortuorum resurrectione. Ut autem vobis significem tempora temporumque articulos et mo-

menta quibus ea sint implenda, non opus habetis, nec attinet ea scribere, quia Dominus ea latere voluit. *Ipsi enim diligenter scitis quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Hoc est: Ipsi vos a me dudum edocti, plane nostis quod dies illa dominici adventus ita superveniet orbi inexpectatus, sicut fur nocte supervenit hominibus secure dormientibus. *Cum enim dixerint, pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Et omnibus quidem dies illa veniet ut fur nocturnus, quia ab omnibus, saltem quoad tempus praecisum ignorabitur, sed solos malos opprimet imparatos. Unde et iis solis interitum afferet, nam boni, quamvis diem adventus Domini ignorent, ad eum semper parati sunt et praemuniti. *Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa,* quandocumque eam venire contingat, *tamquam fur comprehendat* (1). Ubi vides Apostolum, nedum affirmet vicinum et iam imminentem Domini diem, unice stare monito illi quod ascendens in coelum Christus suis reliquerat dicens, Act. 1-7: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate,* quatenus fideles unice sollicitos esse iubet de praeparando se ad iudicium Dei, quin ad curiosa ac supervacanea, aut certe ad ea quorum cognitio mortalibus est denegata, desiderium extenderent.

Secundus locus est 2 Thess. II-1. Cum enim de adventante iamiam iudicio rumores passim temere spargerentur, errorem diserte et instanter refutat Apostolus, iisque verbis quae nullum relinquunt aequivocationi locum: *Rogamus autem vos, fratres, per adventum D. N. I. C. et nostrae congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu,* hoc est, a sententia seu doctrina quam a nobis acceptam mente tenetis, scilicet de tempore diei Domini. *Neque terreamini, neque per spiritum* tamquam divinum et propheticum, *neque per sermonem* tamquam a nobis profectum, *neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo, id est decipiat* persuadendo Christum

(1) Estius in cap. 5 primae ad Thess.

statim esse venturum. *Quoniam nisi venerit discessio* (ἀποστασία) *primum*, id est generalis defectio a fide christiana, *et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus et quod colitur*, scilicet antichristus, dies illa non veniet. *Num retinetis quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis?* Quare non debebatis commoveri rumoribus aliquorum dicentium instare diem illum (1) Unde rursus vides, Apostolum minime esse in ea erronea persuasione, quam ei imponunt critici rationalistae, multoque minus huiusmet persuasionis auctorem aliis esse, sed imo eam in suis neophytis expresse corrigere, et hac quidem ex ratione, quod eventus non parvi temporis aut momenti quae nondum acciderant, ultimi adventus diem debebant praecedere.

Tertius locus est 2 Petr. III-8. Dum enim quidam maxime terrebantur tamquam de instante consummatione saeculi, quidam alii e contra vicinam illam adeo sperabant, et de procrastinatione sic affligebantur, ut aliorum terrores, aliorum vero impatientiam compescere necesse habuerint apostoli. Et Petrus quidem ad confirmandam fidem ac reprimendam curiositatem fidelium, ne vel dubitarent de adventu Domini promisso, vel certum tempus quo venturus sit exquirerent: *Unum vero hoc*, inquit, *non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut unus dies.* Sentit enim, nullum tempus debere longum videri comparatione aeternitatis secuturae, cum in oculis atque aestimatione Dei aeterni et immutabilis, unus dies et mille anni non differant. *Non tardat Dominus promissionem suam sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti*, ut scilicet electi qui adhuc restant colligendi colligantur, et ad poenitentiam aggregentur. *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo coeli magno impetu transient... Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales vos oportet esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes, et properantes in adventum diei Domini*, dum quisque

(1) Estius in cap. 2 secundae ad Thess.

vestrum sedulo piis operibus incumbens, ostendat se Domini adventum diligere ac desiderare, more servorum qui reditum dominorum absentium quos amant, desiderant, interim officio diligenter intenti. *Propter quod, charissimi, haec exspectantes* (novos coelos et novam terram in quibus iustitia habitat), *satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace.* Id est: Ne auscultetis verba dicentium: ubi est promissio adventus eius? sed quae promissa sunt spe firma praestolantes, toti in hoc incumbite, ut tales a Domino ad iudicandum venturo reperiamini, quales oportet esse eos qui bona ab eo recipiant, irreprehensibiles scilicet, immaculatos, et puros. *Et Domini nostri longanimitatem* qua suum differt adventum, *salutem arbitremini*, hoc est, reputetis ad vestram spectare salutem, quia differendo iudicium, exspectat ad poenitentiam salutarem, ne vos cum reprobis damnemini (1). Ubi iterum iterumque vides, nullam determinatam temporis mensuram vel approximative praefigi, quia unum duntaxat, auctore Petro, utile nobis et necessarium cognitu est, videlicet: quod cum omnes absque exceptione visuri sint diem Domini qui paratus est iudicare vivos et mortuos (1 Petr. IV-5), consequens est ut omnes absque exceptione, etiam antea morituri, debeant properare in diem illum et exspectare illum exercendo bona opera, purificando corda sua, et ab amore transituri saeculi affectus suos retrahendo. Caeterum, ad proximitatem supremi eventus quod spectat, spatium mille annorum computandum esse sicut brevitatem diei unius, et dilationem ipsam, si forte in oculis humanis longa esse videatur, ad miserentis Dei consilium esse referendam. Ita certe Petrus per omnia Paulo consonans, et tradens nobis normam intelligendi ea quae passim in scriptis apostolicis de parousia seu futuro Christi adventu occurrunt, quaeque neocritici nunc depravant et adulterant, sicut et caeteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem (2).

(1) Estius in caput tertium secundae Petri epistolae.

(2) Locus Petri ita concluditur: « Et Domini nostri longa-« nimitatem salutem arbitremini, sicut et charissimus frater noster « Paulus scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in

II. — Iam igitur, non multi negotii erit ostendere quod textus omnes quos isti afferunt pro re sua, frustra ab eis afferuntur. Nihil in primis ex 1 Ioan. II-18: *Filioli, novissima hora est*, et aliis similibus testimoniis, Act. II-17, 1 Cor. X-11, Heb. IX-26, etc. « Dicendum, inquit S. Thomas in Suppl. Q. 88, « a. 3 ad 3.um, quod ex hoc quod dicitur, *novissima hora est*, « vel ex similibus locutionibus quae in Scriptura leguntur, non « potest aliqua determinata quantitas temporis sciri. Non enim « est dictum ad significandum aliquam brevem horam tempo- « ris, sed ad significandum novissimum statum mundi, qui est « quasi novissima aetas; quae quanto temporis spatio duret, « non est definitum: cum etiam nec senio, quod est ultima aetas « hominis, sit aliquis certus terminus definitus. Unde etiam « Apostolus, 2 Thess. II, excludit falsum intellectum quem « quidam ex suis verbis conceperant, ut crederent diem Domini « iam instare ».

Rursus nihil ex hoc quod Paulus ita loqui videatur quasi futurus de numero eorum quos adhuc vivos reperiet Domini dies, dicens in prima persona, 1 Thess. IV-14: *Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos qui dormierunt*. Immerito enim et prorsus absque causa inde concluderes, Apostolum persuasum habuisse, se et alios coaetaneos suos non esse morituros antequam veniret dies iudicii. Nam notetur primo quod Paulus ipsemet illegitimam conclusionem reiicit et destruit in posteriori epistola, ad hoc directe ab eo scripta, ut removeret opinionem quam ex verbis suis male intellectis nonnulli conceperant. De quo vide supra, 2 Thess. II-2. Notetur secundo quod idem ipse Paulus e numero eorum qui vivent et residui erunt in adventu dominico, sese alibi aperte excludit, dicens 2 Tim. IV-6: *Ego enim iam delibor*, id est immolor, martyrio consummor, *et tempus resolutio-*

« eis de his (*id est de adventu Christi et fine mundi*), in quibus sunt « quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, « sicut et caeteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Vos « igitur, fratres, praescientes custodite, ne insipientium errore tra- « ducti excidatis a propria firmitate ».

nis meae instat; eodem modo ac Petrus: *Certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et D. N. I. C. significavit mihi. Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Notetur denique tertio quod epistolae apostolicae non pro his solis qui tunc vivebant scribebantur, sed pro cunctis in finem fidelibus, quos utique in coaevis Thessalonicensibus, vel Corinthiis, vel Philippensibus, per Paulum erudiebat Spiritus Sanctus. Sicut ergo in Timotheo episcopo totum corpus pastorum per futuras Ecclesiae aetates Paulo praeceptori coram obversabatur, ita in Thessalonicensibus de resurrectione mortuorum et adventu Christi instruendis, obversabantur omnes omnino fideles qui eiusdem resurrectionis et adventus futuri erant participes. Et quid iam mirum si distinguens (ut supra, thes. 12) inter eos iam mortuos, et eos quos adhuc vivos ultima dies deprehendet, ipsemet Paulus tunc in vivis agens, sese simul cum aliis tunc pariter apud vivos degentibus, in partem vivorum naturali quadam figura sermonis transponat, et dicat: *Nos qui vivimus, qui residui sumus?* Unde Rosenmuller qui nostris criticis non adeo suspectus esse potest: « Loquitur in persona eorum qui « tunc vivi reperientur, idque propter incertidudinem temporis « iudicii, vel quia conveniens erat ut vivens in persona viven- « tium loqueretur ».

At dices: Nonne ad eos qui tunc temporis de fine, vel tanquam instante terrebantur, vel tanquam dilato contristabantur, dirigebantur monitiones apostolicae? Nonne ipsi erant quibus commendabatur ut continuo vigilarent, ne eos dies illa tanquam fur comprehenderet (1 Thess. V-4); ut essent in sanctis conversationibus et pietatibus, expectantes et properantes in adventum diei Domini (2 Petr. III-12); ut servarent mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum D. N. I. C. (1 Tim. VI-14); ut essent patientes, et confirmarent corda sua, scientes quoniam iudex ante ianuam iam assistit (Iacob. V-8); ut se invicem consolarentur, et tanto magis quanto viderent appropinquantem diem (Heb. X-25), et sic in aliis locis

quamplurimis? Quid autem aliud haec sonant, nisi quod apostolis testibus, denuntiatus dies, etiamsi erat occultus, non dubitabatur esse vicinus?

Respondeo, monitiones eiusmodi plane praescindere a proximitate vel longinquitate diei iudicii, et quacumque hypothesi facta, ejusdem semper fuisse quoad omnes, et valoris et veritatis et efficaciae. Nec a longe quaerenda ratio est, cum sit perquam obvia et evidens. In quo enim quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies, et qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur, inquit Augustinus epist. 199 de fine saeculi ad Hesychium. « Ad hoc pertinet quod in Evangelio secundum Marcum ita « scriptum est : *Vigilate ergo, quia nescitis quando Dominus do-* « *mus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane,* « *ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem* « *vobis dico omnibus dico, vigilate.* Quibus enim *omnibus* dicit, « nisi electis et dilectis suis ad corpus eius pertinentibus, quod « est Ecclesia? Non solum ergo illis dixit, quibus tunc audien- « tibus loquebatur, sed etiam illis qui fuerunt post illos ante « nos, et ad nos ipsos, et qui erunt post nos usque ad eius novis- « simum adventum. Numquid autem omnes inventurus est dies « ille in hac vita, aut quisquam dicturus est quod ad defunctos « etiam pertineat quod ait : *vigilate, ne cum repente venerit,* « *inveniant vos dormientes?* Cur itaque omnibus dicit quod ad « eos solos pertineat qui tunc erunt, nisi quia eo modo ad omnes « pertinet quo modo dixi? Tunc enim unicuique veniet dies ille, « cum venerit ei dies ut talis hinc exeat, qualis iudicandus est « illo die. Ac per hoc, vigilare debet omnis christianus, ne im- « paratum inveniat eum Domini adventus. Imparatum autem « inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suae vitae huius « ultimus dies ». Ita rectissime loco citato Augustinus, qui in una sola pagina plus criterii, rationis, et verae scientiae biblicae monstrat, quam neocritici omnes simul, in omnibus simul operibus suis; quoniam eis plerumque id unum pro merito est, quod obiectiones ab antiquo tractatas et plenissime iamdudum

solutas e pulvere resumant, easque iam non pro obiectionibus, sed pro argumento et doctrina, quasi de novitate prurientes aures demulcendo, suis lectoribus apponant.

Et confirmatur, quia etsi dicatur tempus breve esse, noctem huius vitae praecessisse, diem vero aeternitatis appropinquare, iudicem ante ianuam assistere, etc., nihil tamen magis peregrinum a mente apostolorum quam proximitas ultimae catastrophes. Numquid, quaeso, innuunt non esse amplium seminandum, emendum, vendendum, generandum, militandum, administrandum, quasi humana societas in eo tunc fuisset ut finiret? Imo, ubique tradunt quomodo officia vitae tam civilis quam domesticae sancte sint observanda, Coloss. III-14. Quomodo orare oporteat pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam et tranquillam vitam agamus, 1 Tim. II-12. Quid debeant servi dominis, et domini servis, mulieres viris, et viri mulieribus. Ubique demum ea praecipiuntur quae faciunt ad societatem recte et christiane ordinandam, et nedum insinuetur in ianuis esse saeculi consummationem, omnia potius inculcant humanae civitatis palingenesim et restaurationem in Christo.

Nec tandem melior conclusio erit ex iis quae leguntur in Apocalypsi: *Quae oportet fieri cito* (I-1). *Ecce venio cito* (III-21). *Et ecce venio velociter* (XXII-6). *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua* (XXII-12). *Dicit qui testimonium perhibet istorum: etiam, venio cito. Amen, veni Domine Iesu* (XXII-20), etc. Non erit, inquam, conclusio melior. Primo quidem quia, cum in Apocalypsi omnia fata Ecclesiae per totum saeculorum decursum prophetice describantur, eatenus iam intelligi potest quod scriptum est: *quae oportet fieri cito*, quatenus cito post editam prophetiam debuit esse initium completionis. Secundo quia verba illa *venio cito, venio velociter*, eamdem normam interpretationis habent ac illa 1 Petr. IV-7: *Omnium autem finis appropinquavit*, ita scilicet ut a mente non excidat quod *unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies*

unus. Tertio quia, ut paulo ante praemisimus, unicuique animae fideli in die mortis venit Dominus Iesus, et sic omnibus venit cito, venit velociter, quandoquidem mors utique non tardat. Quarto demum, quia etiam in vulgari omnium hominum loquendi ratione, illud dicitur cito et velociter eventurum, quod venturum est post spatium temporis, non tam absolute quam relative breve. Sicut dicimus cito venturum finem anni cum ad mensem Novembrem, et finem hebdomadae cum ad feriam sextam, et finem vitae cum ad senectutem pervenitur. Sicut etiam astronomi dicunt solem mox secundum naturales causas exstinctum iri; mox, id est post annorum millia millium, quae tamen comparatione periodorum geologicarum pro brevi temporis spatio aestimantur. Si quid ergo ex locutionibus supradictis verosimiliter concludi posset, non id sane quod neocritici impudenter asserunt, falsam et ementitam ipsis sacris libris prophetiam adscribendo, sed aliquid aliud multo diversum: tempora scilicet Novi Testamenti comparatione antecedentium brevia fore, mundum non habiturum esse prodigiosam illam durationem quam quidam imaginantur, et ultimam catastrophen non ita longe longeque distare.

Ad quam coniecturam etsi verba supradicta, *cito*, *velociter*, et alia eiusmodi, nos aliqualiter inducere possent, multo tamen magis generalis illa regnorum et populorum a fide et Ecclesia defectio, quae ab Apostolo in signum appropinquantis finis praedicta est, quamque hodie magnis, proh dolor, incrementis fieri quotidie conspicimus. *Nisi*, inquit, *venerit discessio primum*. Et numquid non venit? numquid non omnia praesagire faciunt horam supremae luctae cum serpente antiquo? Audi rationalistam quemdam, praesentem rerum statum describentem, et de ea quae futura est religione disserentem: « Multi « sunt qui loquuntur et scribunt de lucta civilizatrice, sed pauci « qui intellexerunt luctam eiusmodi esse ultimum ac despera- « tum conatum ideae christianae priusquam dispareat, et civi- « lisationem modernam paratam esse ad omnia media adhi- « benda, potius quam cedat de iis quae tanto labore obtinuit.

« Civilisatio enim moderna et christianismus in contradictione « sunt, et ideo unum alteri cedat necesse est. Progressus mo- « dernus non potest agnoscere nisi deum mundo immanentem, « oppositum Deo transcendentali revelationis christianae, nec « aliam moralitatem praeter solam illam veram, cuius fons est « voluntas humana sese per seipsam determinans, sibique ipsi « lex existens » (1). Audi praesertim Pontificem Pium X in Encyclica *E supremi*: « Haec profecto qui reputet, is plane « metuat necesse est ne malorum quae supremo tempore sunt « expectanda, sit perversitas haec animorum libamentum quod- « dam ac veluti exordium; neve *filius perditionis* de quo Apo- « stolus loquitur, iam in hisce terris versetur. Tanta scilicet « audacia, eo furore religionis pietas ubique impetitur, reve- « latae fidei documenta oppugnantur, quaeque hominis cum « Deo officia intercedunt tollere, delere praefracte contenditur! « E contra, quae secundum Apostolum eumdem, propria est « antichristi nota, homo ipse temeritate summa in Dei locum « invasit, extollens se *supra omne quod dicitur Deus*, usque « adeo ut, quamvis notitiam Dei extinguere penitus in se ne- « queat, eius tamen maiestate reiecta, aspectabilem hunc mun- « dum sibi ipse veluti templum dedicaverit a caeteris adoran- « dus. *In templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus* ».

Qui ergo habet aurem audiendi audiat: Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Amen, veni Domine Iesu.

(1) Hartman, la religion de l'avenir.

INDEX

PAG.

PROOEMIUM 3

QUAEST. I. — **De morte termino viae.**

Praenotanda 9

THESIS 1. — Hominibus vita praesens est via ad futuram, eamque immobilem ac perenniter duraturam, in qua unusquisque recipiet a Domino prout gessit in corpore, sive bonum sive malum. Et huic viae definitivus terminus imponitur per mortem, post quam nullus relinquitur locus, nec ad poenitendum, nec ad merendum, nec ad demerendum, nec denique ad immutandum quavis ratione statum peccati vel gratiae in quo animam ultimum instans deprehenderit . . . 11

QUAEST. II. — **De iudicio particulari.**

De veritate iudicii statim post mortem subeundi 44

De modo huius iudicii 47

De his quae ipsum consequuntur . . . 49

QUAEST. III. — **De inferno.**

THESIS 2. — Articulus fidei catholicae est poenas damnatorum in inferno esse aeternas, id est sine fine duraturas, et nec characterem christianitatis, nec fidem in finem usque retentam, nec exercita misericordiae opera quidquam valere ad eximendum eos

PAG.

qui cum reatu peccati mortalis de hac vita decesserint 52

THESIS 3. — Inter omnes modos quibus accipi potest poenarum inferni mitigatio, ille certo certius pro erroneo habendus est, quo de lege praesertim universali et fixa, statueretur diminutio secundum tractum temporis semper progressiva, quantum ad poenas quae per se, et non per accidens tantum, luuntur in inferno 74

THESIS 4. — In inferno, praeter poenam concomitantem, est poena inflicta duplex, poena scilicet damni consistens in privatione visionis Dei, tum poena sensus cuius instrumentum est ignis verus ac corporeus, miris sed veris modis torquens etiam animas et spiritus angelicos. Atque ex his omnibus poenis consurgit extrema miseria damnatorum, quae tamen non est eadem in omnibus, sed inaequalis secundum meritorum inaequalitatem 82

QUAEST. IV. — **De purgatorio.**

THESIS 5. — Dogma fidei catholicae est, existere purgatorium, in quo post mortem poenis purgantur qui vere poenitentes in Dei caritate decesserunt, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis. 94

THESIS 6. — Purgatorium non manet in perpetuum, nec indeterminatum habet suae durationis limitem, sed finem accipiet in resurrectione universali et iudicio extremo, abeuntibus aliis in supplicium aeternum, aliis autem in vitam aeternam . . . 108

THESIS 7. — Poena purgatorii est duplex, nimirum poena dilationis gloriae, et poena sensus. Proportionatur in diuturnitate et acerbitate quantitati remanentium reatuum,

PAG.

sed correspondentibus huius vitae poenis semper est gravior. Intolerabilis tamen error esset, in Luthero iam dudum damnatus, si quis diceret purgantes animas adhuc peccare, aut de sua salute certas et securas non esse 112

QUAEST. V. — **De paradiso.**

THESIS. 8. — Secundum fidem a Benedicto XII primum definitam, et a Concilio Florentino in decreto unionis Graecorum iterum confirmatam, credendum est quod a tempore consummati Novi Testamenti per mortem Christi, iustorum animae quibus nihil luendum tunc supererat vel nunc superest, statim admissae sunt et admittuntur ad claram visionem ipsius Dei unius et trini sicuti est, suntque ante iudicium universale ex tali visione vere beatae, habentes vitam et requiem aeternam . . . 121

THESIS. 9. — Beatitudo statim consummatur quoad sui substantiam, sed crescit usque ad ultimum diem quantum ad accidentale gaudium communionis sanctorum in concordissima illa societate coelestis Ierusalem, donec tandem ultimo compleatur per gloriosam corporum resurrectionem, et manifestationem iudicii generalis de qua dicit Apostolus : « Illuminabit abscondita tene-« brarum, et manifestabit consilia cordium, « et tunc laus laus erit unicuique a Deo » 129

QUAEST. VI. — **De habitudine defunctorum ad vivos et vivorum ad defunctos.**

De habitudine defunctorum ad vivos, tam quoad cognitionem eorum quae apud nos aguntur, quam quoad auxilium quo nos iuvare possunt 137

De habitudine vivorum ad defunctos, sive ut

PAG.

religioso cultu prosequendos, sive ut suffragiis sublevandos 141

QUAEST. VII. — **De resurrectione mortuorum.**

THESIS 10. — Futura est secundum Scripturas in consummatione temporum generalis omnium hominum ad vitam indestructibilem resurrectio, per quam pro statu finali totius universi perfectio humanae speciei restaurabitur, et homo integer in anima et corpore, propriorum factorum aut praemium reportabit aut poenam 145

THESIS. 11. — Resurrectio omnium uno eodemque tempore fiet, et ideo explodi debet commentum illud resurrectionis primae cum consequente regno mille annorum quod adstruebant Chiliastae, quocumque tandem modo explicetur, sive ad sensum antiquorum haereticorum, sive etiam ad sensum eorum Patrum quorum opinionem a saeculo quarto iam penitus reiectam nonnulli moderni post Protestantes sat temerarie renovare conati sunt 150

THESIS. 12. — Mortem fore pro omnibus terminum a quo ultimae resurrectionis, longe probabilior sententia est, nec videtur admittenda opinio dicentium futuros aliquos qui immortalitate supervestientur quin prius cedant legi ab initio latae contra posteritatem Adae : pulvis es et in pulverem reverteris. 158

THESIS. 13. — Regula fidei aperte tradit corpora resurgentium fore eadem ac prius, tum specie tum numero, sed undenam numerica identitas repetenda sit, non determinat. Videretur autem satis illa repeti ex identitate animae, cui quaecumque materia accedat secundum successionem temporis, semper idem manet homo, idemque corpus

PAG.
simpliciter. 162
THESIS. 14. — Omnibus hominibus commune futurum est ut eam immortalitatem consequantur quae in impossibilitate iterum moriendi consistet, adeoque pro semper excludet omnem usum tam nutritivae quam generativae virtutis, simul cum animalibus delectationibus annexis. At proprium corporibus gloriosis erit ut quatuor principalibus dotibus ornentur, impassibilitate scilicet, subtilitate, agilitate, et claritate, in quibus Christo resurgenti a mortuis perfecte configurabuntur 177

QUAEST. VIII. — **De iudicio generali et fine mundi.**

De fine mundi, quoad causam, modum, et ordinem 185
De fine mundi quoad circumstantiam temporis contra novos exegetas 191
1. Quod omnes textus Evangelii qui afferuntur pro praenuntiato a Christo fine mundi tanquam proxime et sine mora eventuro, fuerunt male a rationalistis et neocriticis intellecti 193
2. Quod absque fundamento erronea persuasio de imminente iam iudicio et parousia Christi, in scriptis apostolicis passim respersa asseritur; imo etiam, contra diserta et expressa quae in iisdem inveniuntur testimonia 204
INDEX 215

IMPRIMATUR

P. Albertus Lepidi O.P., S.P.A. Magister

— —

IMPRIMATUR

Josephus Palica, Arch. Philip., Vic. ger.

Tip. «La Casa del Libro» Soc. An. – Vic. della Cancelleria, 34, Roma

21197
CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
3 0311 00104 4986
WITHDRAWN



BT 901 .B54 1924
Billot, Louis, 1846-1931.
Quaestiones de novissimis

3 0112 00104 4986